F.
VIII. 254

Digitized by Google

F.VIII.254

Digitized by Google

Digitized by Google

F. VIII. 254

MICHAELIS ANGELI GIACOMELLI

PROLOGI IN TERENTIVM AB ANTONIO MATANIO ILLVSTRATI.




PISTORI MDCCLXXVII.

APVD ATTHONEM BRACALIVM PVBL. TYP.

PRAESIDVM APPROBATIONE.

Digitized by Google

Digitized by Google



CARDINALI AMPLISSIMO
EGNATIO BONCOMPAGNIO
LVDOVISIO &c. &c. &c.

ANTONIVS MATANIVS
F.

QVOD olim ad Latini ſermonis amplificandam dignitatem, elegantiamque fovendam, Egnati Cardinalis Amplissime, Mediceo-

rum Principum patrocinio, maximeque inclyti Laurentii auctoritate praeſtitum, Florentia ſuſpexit, id etiam Clemente XII. P. M. imperante renovatum Roma ipſa teſtatur. Fuit illud quidem eximium Etruſcorum decus, ut Graecae dum litterae, ope cumprimis ferente Demetrio, cognomento Calchondyla, ex Atticis finibus accerſito ea tempeſtate florerent, Latinae itidem, quae neglectae ferè jacuerant, inſtaurato hominum doctiſſimorum conſeſſu publicam denuo in lucem tanti praeſidis liberalitate prodirent, atque antiquum ſplendorem, & priſtinam dignitatem recuperarent. Ne autem a veterum ſcriptorum exemplis declinaret quiſpiam, neve in perquirendis exquiſitae dictionis fontibus alacritas juvenum relangueſceret, id in Etruria ſtatim effectum, ut ſcilicet Plauti, Terentiique agerentur ab iis fabulae, quarum amoenitate commoveri, lepore inſtrui, atque facetiis delectari valerent. Neque vero aliter per induſtrios juvenes, qui apti eſſent ad ſermonis floſculos ſtudioſe captandos, Pontificia praeeunte voluntate, atque Franciſco Lorenzinio

egre-

egregio viro ipſarum moderatore vulgata res eſt Romae peractum : In ea namque urbe, altera poſt Athenas doctrinarum matre, ubi, praeter invectam olim Latini eloquii vim certè mirabilem pulcherrimus Tullianae orationis ſplendor enituit, ea quoque floruit iterum, floretque adhuc dicendi, ſcribendique facultas, quae debeat omnium plauſibus conſonare, & ab optima Latinorum ſcriptione non abhorrere. Nec fuit temere quod veteres comici, qui Latina lingua toto orbe inclaruerunt, ad ejuſmodi opus delecti fuerint: Quis enim Plautinis, ac Terentianis elegantiis non ſubſcripſerit? Subſcribendum ſemper volentes, lubenteſque putarunt qui ſe occultis quibuſdam veſtigiis ad inſiſtendam eruditionis antiquae viam ſenſerunt impelli. Qua re animadverſa ſummos eo maxime tempore in ſubſidium advocare homines neceſſe fuerat adeo Plautinae, ac Terentianae ſcriptionis imitatores, ut ad ejus normam non prologos tantum fabularum, ſed verſiculos quoque conficerent ipſa novitate mirabiles, quibus edictum populo eſſet de iis agendis.

Hinc

Hinc Clemens, cujus ſi nomen dixeris ſatis laudaveris, utpote Florentiae natus, rerumque memor inſigniorum, quae in patria quondam geſta perſenſerat, mirifico permotus exemplo magni Laurentii, qui ad eam rem Angelum elegerat Politianum, tale munus Michaeli Angelo tradidit Giacomellio. Ita factum, ut ille, non ſecus ac Politianus in Plautum, eos pereleganter elucubraverit in Terentium, atque id effecerit, nonnihil ut excitati fabularum actores ſermonem comicorum veterum, quem vix calluerant, aſſidua poſtmodum exercitatione penetrarent, ſuamque paullatim in rem expedite non minus, quam eleganter traducerent. Illuſtria haec ſelectioris exemplaria Latinitatis non eſſe doctis omnibus obvia ipſemet jamdiù perſpexeram, quippe quae ſtatim ac è calamo exciderant Giacomellii exoptabantur undique a litteratis viris bene multis, avideque eorum nonnulla colligebantur, ſi tamen comparare conceſſum aliquando eſſet, quod ſcilicet ſuavitate, lepore, venuſtateque admirationem ingeneraſſent, & voluptatem: Nam tanta

erat

Digitized by Google

erat ſermonis Latini ſuavitas, ut appareret, veluti de Attico dixerat Nepos, in eo non adſcitum, ſed nativum quemdam eſſe leporem. Eorum aliquibus conſulentibus operae pretium me facturum bene ſubducta ratione ſum arbitratus ſi conquiſita omnia, recepta, atque illuſtrata evulgarem, quo expeditior ſapientiſſimi ſcriptoris imitatione patefieret aditus ad veram, & germanam veterum eloquentiam. Sed cum prologos, atque verſiculos, tum ipſorum illuſtrationes aequum erat eximio alicui, ut moris eſt, conſecrare viro elegantiorum fautori litterarum, cujus patrocinio ſubſtentarentur, ac cenſoriam delicatiorum fortaſſe hominum, qui litterarios praecipue conatus meos reprehendant facilius, quam laudent, invidiam effugerent. Atque idipſum jucunda cogitatione dum volutarem impenſius, jucundior certè meum ſubiit animum cogitatio, quae me impulit ad ejuſmodi Tibi potiſſimum conſecrandos labores, Cardinalis Amplissime: In Te enim magni, excelſique animi tanta benignitas, & humanitas eſt, ut prognatus genere

nere ſummo recte in eo cenſeas Tuam eſſe poſitam voluptatem, ſi bene de litteris, earumque cultoribus merearis. Cujus rei Giacomellius ipſe, niſi acerba fuiſſet morte praeventus, teſtis eſſet luculentiſſimus: Efferret namque laudibus amorem in Graecas, Latinaſque litteras planè ſingularem ſui ipſius familiaritate Tuo in animo aetate nondum provecta excitatum. Haud aliter ſentiret qui jampridem perſpexerat praeclariſſimum naturam ipſam in Te paraſſe domicilium ſcientiarum, quarum ſemina ad maturiorem deductus aetatem vidiſſes in uberrimam virtutum omnium meſſem erumpere. Commendaret ille quidem, ſi loqui poſſet, morum ſuavitatem, lenitatemque mirificam, ac benevolentiam illam, qua ſemper ſe ipſum, ac reliquos liberalium diſciplinarum fautores perhumaniter excipere non es dedignatus. Neque ſincero prorſus exſiliens gaudio diffiteretur Te Chriſtianae religionis, atque ſcientiarum bono natum per varios ſapientiae gradus alacritate mirabili tranſeuntem, graviſſimiſque poſtea muneribus egregie functum dignum

fuiſſe redditum, quem Pius VI. P. M. ſacro PP. Augg. ſenatui omnium gratulatione ſapientum adſcriberet. Nec immerito Te laudatum a laudato viro, cujus in aeternitate memoria eſt, ipſe arbitrarer, planè conſcius magnum olim Alexandrum Achillis gloria permotum ejuſmodi fortunatum cenſuiſſe incomparabilis exempli hominem, qui Homerum ſcilicet propriae virtutis praeconem invenerit. At ſeveriores, quibus ornaris, virtutes, & in quibus heroum veſtigiis inſiſtens excellis maxime, nemini dubium quin ex avita gloria haereditario veluti jure profluxerint, atque ab ſingularibus animi, ingeniique Tui dotibus morum diſciplina, ſcientiarumque acquiſitione nobilitatis incrementum acceperint. Meminiſti profecto quantopere Tuorum gloria majorum qua divinis, qua humanis rebus excellentium, quorum egregias laudes aemulari non deſinis, adaucta fuerit, quantumque BONCOMPAGNIAE familiae ſplendoris, & dignitatis acceſſerit quando Philippos vidit, Jacobos, Franciſcos, Hieronymos in ſacrum Purpuratorum PP. collegium meri-

to cooptatos . Neque ulla unquam oblivione deleri poſſe cumprimis agnoſcis communem Italiae noſtrae, ac univerſi Chriſtiani populi voluptatem tum excitatam, cum in nobiliſſima, vetuſtiſſimaque progenie Tua unus omnium floruit maxime, qui omnes quum verae pietatis, ſolidaeque ſapientiae partes impleverit, relicto tandem Hugonis, inditoque ſibi Gregorii XIII. nomine ad ſummum ſacrae dignitatis faſtigium aſcendit. Tanti certè Pontificis auſpicio, imperioque ſancitum, ut quae tumultuarie quondam ad communem utilitatem Gratianus collegerat opportunae ſubiicerentur emendationi, omnis ut deinceps obſtrueretur aditus ad errores, quorum caligine interpretum antea mentes offundebantur. Quin & provido ejuſdem regimine factum, ut ſi quid ad promovenda ſcientiarum, artiumque ſtudia ubique terrarum eſſet excogitatum Roma ſuſciperet, & dignitatem penè illam, majeſtatemque praeſeferret, quae latiſſimum dum haberet imperium a Tulliis, Scipionibus, Caeſaribuſque profluxerat. Atqui primaevam multo

to

to magis inſtaurare, & longè latèque diffundere divini gregis conatus eſt diſciplinam, quae viſa ibi fuerat eo tempore potiſſimum inclareſcere, quo urbem ipſam Chriſtiani orbis Principes Petrus, & Paullus glorioſo ſanguine conſecrarunt. Taceam vero tot praeſtantiſſimos domi, militiaeque viros, ac reliquos bene multos, qui doctrinarum gloriae quum magnanimitatem aequaverint, & nihil in ſummo generis ſplendore de benignitate ſibi propria remiſerint, rurſuſque antiquius nihil habuerint, quam doctos habere homines in deliciis, ea celeritate ad honores, dignitateſque progreſſi ſunt, quae acquiſitionis famam penè praecurreret. Id non ſatis me confirmaſſe arbitror ſi è praegreſſis retro temporibus ad noſtra haec mentem, animumque convertens Cajetanum taceam parentem Tuum antiquae prudentiae virum, Tuarumque virtutum artificem, & longaevitate digniſſimum, in quo commemorando prae gaudio verba vix ſuppetunt, quum illuſtriora, quibus refulget ejus animus, ornamenta pietate ſola ſuperari videantur. Satis ſit di-

Digitized by Google

xiſſe eum dignitatibus fulgentem ampliſſimis, ſed tamen vultu, ſermone, conſuetudine amabilem, noſcere neminem, qui non diligat, neque adire unquam, qui non adire iterum concupiſcat, neminem illius experiri mores, qui non admiretur, & praedicet. Hoc vero vel magnum, & perquam honorificum familiae Tuae ornamentum ſilentio nuſquam praetereundum, quod propria nimirum in poteſtate ditiones habeat antiquitatis decore, opibuſque indè profluentibus, ac liberali, ſplendidaque ratione quaeſitis valdè ſpectabiles. Verum prae caeteris aliquae multo cenſentur ſpectabiliores, quippe quae viris originem, ortumque praebuerint ſapientiſſimis, quos ad praeclara quaedam natura produxerat. Quis rem animo reputans neſciat ex Aquino prodiiſſe Thomam illum, cujus admiramur ingenium in ſcriptis, ſanctitatem veneramur in templis? Soram natalem fuiſſe Baronii locum, ejus nempè viri, cujus annalibus cedro dignis abditi ſacrae hiſtoriae receſſus mirifice referantur? Natum, altumque Vineolae Muratorium tam bene de divinis, pro-

faniſ-

faniſque litteris meritum, egregio ut calamo ſapientum rempublicam ſelectioribus cognitionibus, rarioribuſque ditaverit? Quod ſi oculos ad tempora vetuſtiora retorqueamus, ultro fatebimur Ciceronem ipſum Latinae eloquentiae parentem Arpini natale ſolum fuiſſe nactum; apud Venuſinos itidem Horatium lyricorum facile principem. Jamque locorum ejuſmodi fama per orbem percrebreſcit in dies: Erigere namque incolarum potius animos, quam concitare ſolet nativae gloriae inter finitimos aemulatio. Eam reapſe ſibi ſortem merito gratulantur, ut non modo Boncompagniae familiae aequo poſſint animo famulari, per quam ſplendidum, pacatumque obtinent dominatum, verum ab ſummis etiam antiquae, recentioriſque ſapientiae portentis magnum ſibi dari arbitrentur decus, quo paternos lares commendationibus debeant efferre luculentiſſimis. Ejus ſanè rei gratiſſima recordatione commovetur adhuc ob ſortem memoriae proditam nobiliſſimae familiae ardor, eaque de ſe ipſa triumphans ad fovenda litterarum praeconia, doctiorumque

rumque

rumque hominum fauſtiſſimis Minervae auſpiciis inclareſcentium promovendam induſtriam incitatur alacriter. Quod quidem vel in Te ipſo, quippe qui è Bononienſi urbe, veluti è muſarum gremio, prodieris, earumque aliud Romae ſacrarium inveneris, non modo detexerat olim prae caeteris Giacomellius, verum etiamnum norunt omnes, qui ſapientiae deſiderio inflammati, & litteris egregie exculti quum fuerint, non publicae tantum utilitatis aſſertorem, & vindicem, ſed fautorem in Te liberalem, patronumque conſpicuum inveniſſe laetantur. Quam vellem ut Giacomellii dum prologos ſapientiſſime quidem exaratos excipis perlibenter, illuſtrationes quoque meas, qualeſcumque ſint, erepto è ſummis occupationibus otio legendo percurrens illarum tenuitatem aequo animo ferres, nihil ut eſſet cur me oblati muneris poeniteret! Etſi autem majus ingenium, majus eloquentiae flumen deſiderant, minime dubito quin ſi minus fortaſſe placuerint, ab innata humanitate Tua veniam elicere poſſint. Quoniam vero ad cuncta haec Tibi libenti animo conſe-

ſe-

ſecranda me ipſum jamdiù ſentiebam impelli, ad confugiendum modo in clientelam, fidemque Tuam me valdè excitatum agnoſco, quo perjucunda, atque tantopere exoptata declarandi obſequii in Te mei non praetervolet opportunitas. Ceterum illud tantum, ne multus videar, curandum ſupereſt, ut quae fauſtiſſimis EGNATI BONCOMPAGNI auſpiciis jactantur in vulgus benignitate, atque beneficentia CARDINALIS AMPLISSIMI, atque optime de re litteraria meriti tueri glorientur. Mihi vero optandum maxime, ut Te ſplendidioribus auctum dignitatibus, atque adhuc aetate florentem ita fortunet Deus, ſuoque numine Tuis praeſit laboribus, incolumis ut diù ſerveris, atque ſuperſtes ad perenne Chriſtianae reipublicae emolumentum, ad praeſidium, & dulce decus ſcientiarum, atque ad veram ſapientum felicitatem. Te interim obſecro, obteſtorque, ut me non vulgarem Tuarum virtutum, & dignitatum aeſtimatorem ea, qua ſoles, benevolentia proſequaris.

Digitized by Google

AEtate hac noſtra ſi non tam multi in ſtudio litterarum verſantur, certè qui ei ſe penitus dediderunt parem cum veteribus, aut etiam ſuperiorem facultatem ſunt conſequuti. Quo in genere Michaeli Angelo Giacomellio primae mea ſententia deferri debent. Cui quidem ego homini minus, quam ſim, amicus haberi vellem, quo magis teſtimonium hoc de illius excellenti facultate meum non a benevolentia, ſed ab judicio profectum videretur; rurſuſque magis, quam ſim, eruditus, ac talium rerum intelligens exiſtimari percuperem, quo minus errare me in judicando poſſe homines arbitrarentur. Sed de viri clariſſimi praeſtantia non ex cujuſquam teſtificatione, ſed ex illius ſcriptis, quicumque recte, ac vere judicare poterunt, ipſi per ſe ſemper ampliſſime judicabunt.

Lagomarſ. Adnot. in Jul. Pogian. Epiſt.& Orat. Tom. IV. *ep.* LII. *pag.* CCCXXXV.

LECT-

LECTORI BENEVOLO ANTONIVS MATANIVS S.

TErentii comoedias, lector benevole, cum ob ſelectiores, quibus ſcatent, ſententias, tum ob eximiam, qua pollent, elegantiam verborum, neminem latet tanto ſemper in pretio fuiſſe habitas, ut per illos, qui earumdem utilitatem, nitoremque calluerint, nullo non tempore illuſtratae, atque ad Latinae linguae addiſcendae rationem accommodatae videantur. Quum vero iis, qui ſcriptorem ejuſmodi plurimi ſemper fecerunt, Giacomellius quoque ſit accenſendus, quippe qui eloquentiae ab reliquis aureae, ut vocant, aetatis ſcriptoribus ſibi uberrime comparatae dignitatem ampliſſimam, venuſtatemque mirificam adjunxerit ex Terentii fabulis depromptam, mirum videri non debet ſi eas dum impenſius evolverit nonnihil efficere in animum induxerit ſuum, quod ad eas maxime pertineret. Quare ad ejus comici normam verſiculos condidit amoenitatis plenos, atque leporis, quibus nimirum cultiorem alliceret populum ut ad Latinas ſpectandas fabulas, quae Romae, ubi vitam penè omnem ille traduxit ſuam, agebantur, certatim conflueret. Atque idipſum vel imprimis fuit cauſſae cur aliquos iis etiam adjecerit prologos, partim ut fabulae exponeret argumentum, partim ut juvenes diſcendi cupidos ad perfectioris incitaret ſtudium latinitatis, partim ut Terentii inſtar invidam malevolorum aſtutiam venuſta ſcriptione leniret. At quoniam tam verſiculi, quam prologi eo potiſſimum tempore, quo fabulae agebantur, modo ad manum, ut inquiunt, conſcripti, vel typis excuſi ſejunctis diſtribui foliolis conſueverant, modo in

fronte

Digitized by Google

fronte fabulae cujuſvis, prout occaſio tulerat, evulgatae huc illucque locati prodierant, hinc quum è multorum manibus ſive omnes, ſive eorum aliqui penitus avolaverint, raro collectos quis perlegere, nedum impetrare valuit. Quod quidem quum iis maxime evaſerit permoleſtum, quorum oculos inſigne ejuſmodi ſpecimen latinitatis effugerat, nihil unquam optatum utilius, jucundius nihil, quam ſi iſtud in manus omnium facilius obreperet. Atque idipſum videbantur impenſius expetere qui non ſeveriores tantum diſciplinas fovendas ſuſceperunt, atque excolendas, ſed Latinam quoque linguam, quae vel illas continet, vel quae illis eſt continendis idonea, fovendam itidem, excolendamque putarunt. Ego autem bene mihi, aliiſque conſultum putavi ſi quotquot ſunt colligerem, collectos vero, illuſtratoſque typis excudi vellem, ut ad communem utilitatem inde jactarentur in vulgus. Nec temere eſt ſi quantum libuit fabularum ordini eos omnino accommodare ſtuduerim: Non enim ſum tam levi ſententia qui rem jamdiu non anteverterim, praeſenſerim nempè quidquid alii poſſent cogitatione complecti. In lucem edent fortaſſe fabulas omnes, Terentiique prologis, atque argumentis praemiſſis olim a Sulpicio Apollinari eos, opinor, ſubnectent prologos, quos elucubravit poſtea Giacomellius. Neque diffiteor operae pretium facturos ſi è re judicaverint niſi meis, propriis ſaltem ornare ſingulos animadverſionibus, quo facilis, non ſecus ac in reliquis comicorum veterum fabulis, detegatur aditus ad veram eorum ſignificationem illico percipiendam. Fabulas ille nonnullas ſolis verſiculis, ſolis prologis alias, reliquas utriſque nobilitavit, effecitque ut aliquibus verſiculorum edictum populo eſſet de pluribus eodem anno agendis fabulis. Sic Eunuchum, atque Heautontimo-

ru-

rumenon ornant dumtaxat verſiculi , Adelphos , Hecyramque prologi ; ea tamen lege ut ſimplici gaudeat prologo Adelphorum fabula , atque Hecyra duplici . Illud inſuper effectum ut Andria , Adelphi , Phormio , Hecyraque ipſa cum verſiculis , tum prologis ditarentur . Tandem verſiculis iiſdem modo agendae proponuntur Andriae , Adelphorumque fabulae , modo Eunuchi , & Hecyrae . Utinam utroſque ſingulis appoſuiſſet ! Meam tamen induſtriam omnem in eo maxime poſitam velim ut quidquid exegerim alienae , per me licet , utilitatis , ac propriae eruditionis cauſſa peractum putarent , neque nugatorium omnino laborem arbitrarentur delicatuli quidam homines , in quorum manus irrepſerint quaecumque cenſui prologis ipſis curſim raptimque ſuperſtruenda . Propterea ignoro num res è ſententia proceſſerit , qui viderem ſcilicet perſaepe accidiſſe mihi aliis ut implicitus difficilioribus ſtudiis , quae nullis certè finibus coarctantur , indiligens aliquando fuerim , & quidquid animo ſtatim obverſaretur celeri nimium ſcriptione convolverim . Quod ſi inter aſperos orationis anfractus impolitus ſubſtiterit ſermo , major in me forſan ſcribendi requiretur facultas , voluntas autem ſugillari non poterit . Itaque rem quantulamcumque exegi eo planè ductus conſilio , quo alii non ſemel effecerunt ut libellus , qui è calamo auctoris alicujus prodierat praeſtantiſſimi , in ampliorem molem adnotationibus , variiſque cogitationibus , ut ſtatim in ſcribendo fluxerunt , refertus excreſceret . Hinc etſi ſuperiore anno MDCCLXXV. de ſcriptoris egregii vita commentarium ipſemet populari ſermone conſcripſi , novam ut denuo , brevioremque vitam per me Latine exaratam prologis praeferrem vir auctor fuit doctiſſimus , cui magna olim cum eo neceſſitudo Romae interceſſerat . Abnuere

autem ſuadentis incitamento illiberale omnino quum videretur, atque ſubruſticum, Giacomellii vitam, eidem ut morem gererem, uno fere impetu fuſam, ac vernacule prius complurium rerum cumulo auctam in compendium contuli, iterumque ſum aggreſſus ad eam Latino ſermone poſtea pervulgandam. Libenter id praeſtiti, multoque libentius familiares mittendos ad amicos epiſtolas cenſui, quibus eoſdem de labore ſuſcepto commonefactos non exorarem modo ut ſeſe patronos eſſe cujuſlibet prologi paterentur, ſed praeter verſiculos vel reliqua amice vellent excipere, quae rei opportunitas ſcribenti mihi ſuppeditaverat. Tandem ad animadverſiones quod attinet ob oculos habui comicarum rerum, verborumque colluſtrationem, qua eorum nonnihil enitefceret, quae in fabulis extant a Plauto, atque Terentio ſapienter elucubratis, quaeque in rem ſuam erudite non minus, quam eleganter tranſtulit Giacomellius. Quare praeter eximii auctoris verſiculos, atque prologos ejus quoque vitam a me conſcriptam, epiſtolas itidem, animadverſiones, & quidquid eſt reliquum a me peractum libenter accipiant velim qui litteris humanioribus delectantur: Nil etenim mihi fuit ſemper antiquius quam obſequi conſiliis amicorum, atque eorum promovere in dies utilitatem, quorum innata me aſſidue adjuvit comitas, atque aequanimitas. Haec habui quae monerem, lector benevole, nullam ut in me, ſi fas eſt, regerant culpam aequi rerum aeſtimatores, ac voluntati meae dum ſeſe ſubſcribunt labores comprobent, & ſtudia.

DE

DE VITA MICHAELIS ANGELI GIACOMELLI COMMENTARIVS.

Michael Angelus Giacomellius Piſtorienſis. Is Coſmo III. Etruriae imperante III. Id. ſeptembr. an. MDCXCV. bene moratis natus parentibus honeſta fuit ſtirpe clarus, animi tamen dotibus longe clarior. In hoc natura quid efficere poſſet videtur experta, quum ineunte adhuc aetate non vulgaris, ſed praefervidi ingenii ſpecimen dederit. Et quoniam patre uſus eſt indulgentiſſimo, etſi ut tum erant tempora in aliquas rei familiaris anguſtias adducto, prudentiae tamen pleno, imprimiſque artium liberalium ſtudioſo, pie ingenueque a puero educatus ipſam ſic adjuvit arte naturam, ut quum modeſtia, ingenioque ſuo unus omnium maxime floreret, ad praeclarum aliquid incitari videretur. Primis ſanè divinarum, humanarumque rerum apprime imbutus praeceptis, quod plerique faciunt adoleſcentuli, ob eximiam animi indolem, & corporis dignitatem, magna, licet parvulus, pollicebatur parentibus prae admiratione ſtupentibus. Nam elucebat in puero vigor quidam animi, atque egregium quidpiam, quo cum mirabilem erga ſe omnium benevolentiam, tum in multis ardentem excitabat cupiditatem imitationis. Quoniam vero id ea aetas habere ſuapte natura ſolet, ut grata ſcilicet, jucun-

daque

daque omnibus ſit, aliquid certè in eo ſuavius, illuſtriuſque ſemper extare videbatur, quod indubium faceret ſubſecutae praeſagium virtutis, & laudis, quam maturiore poſtea aetate pleniſſime reddidit. Diſciplinis in patria ſtuduit ſeverioribus, atque dura jamdiu ſuſcepta quum ablegaſſet tandem implicatae rudimenta latinitatis, quibus puerile plerumque ingenium opprimitur, ita docente Butio verae, ſolidaeque eloquentiae ſtudio cum è Latina, tum Italica ſcriptorum lectione, atque imitatione ducto paravit ingenium, omnes ut populares ejus non jam ſolum de eo bene ſperare, ſed etiam confidere poſſent civem ſe nactos Etruriae ornamento futurum. Illius enim doctrina quanta futura eſſet communi Piſtorienſium conſenſione in pueritia ipſa detectum. Ita profecto ea aetate facile mobili ille vivere inſtituit, ut ſapientiam ejus, ſi ad aetatem conferrent, obortam ſimul dixerint, & adultam. Exorſus ſiquidem imberbis juvenis a litteris humanioribus cum hiſtoria conjunctis quaedam calentibus rhetorum ſtudiis vincta, ſolutaque numeris oratione ſcholaſtico more depinxerat, quibus comprobatum pleramque docentium aemulatum eſſe doctrinam. Qua ex re in adoleſcentia ipſa clarius inter aequales explendeſcebat, quam generoſi condiſcipuli aequo animo ferre poſſent. Sed ne (quod fere fit) bene coepta propediem obſoleſcerent, in iis quoque ſcientiis, quae in augendo mentis acumine, atque in difficillimis rerum cauſſis inquirendis, perſcrutandiſque verſantur, vix dici poteſt quantum Veneroſio, & Ptolemaejo ducibus ob docilitatem ingenii ſummam, qua aequales longe juvenes ſuperaverat, inſitamque a natura ſolertiam noverint profeciſſe. Vnde illius famam, quae prima hominum praeſtantiſſimorum

morum aetate ſolet erumpere, non indignum putarunt obterere eorum nonnulli, magno caeteroquin ingenio praediti, atque adeo neque ipſe eam effugit invidiam gloriae comitem, quae in cauſſa plerumque eſt quidpiam ut iis detrahatur libentius, qui quum altius emerſerint confeſtim ad honores videntur obrepere ſingulares. Sed tamen, quippe qui erat aptiſſimus ad eorum execrandam improbitatem, qui ſe ipſum arcere primo ad gloriam aditu voluiſſent, progreſſus fecit quos voluit, non potuit autem non velle maximos. Aſt natu jam grandis quum nonnihil è philoſophiae fontibus deguſtaſſet, fuiſſetque non tam diſciplinis politioribus, abſtractis potiſſimum, quantum per aetatem licuit, jugiter eruditus, quam promptiori earum acquiſitione nobilitatus, morae impatiens Piſas quum divertiſſet res ſacras, atque profanas omnes cum Graecas, tum Latinas Valſechio maxime, Averanio, Grandio, aliiſque praeeuntibus impenſius coluit. Ibidem autem ita vixit, ut magiſque ac magis univerſis merito eſſet cariſſimus praeceptoribus, ac reliquis muſarum alumnis, qui praecipuo ipſum amore, ſtudioque complexi fuerant; donec praematura virtute ſua honores adeptus litterarios Piſtorium denique remigraverit, & magnae de ſe excitatae expectationi mirifice ſatisfecerit. Eluxit ſemper in Giacomellio mira diſcendi cupiditas, mentis perſpicuitas ſanè mira, ut licet vivido adhuc ardore, quo juvenilibus annis luxuriant animi, ad ſaeculi illecebras traheretur ardentius, perpetuum tamen otio bellum indixerit. Perſpexerat ille quidem quod accenſos nuper officiorum, quae ſibi propria eſſent, igniculos paullatim inceperant venefica voluptatum lenocinia, & pernicioſa rerum fluxarum blandimenta reſtinguere. Ita fa-

ctum

ctum non temere ut ſi quae forte irrepſerint juventutis vitia magnis fuerint emendata virtutibus, atque ipſe celeriter ad prudentiorum hominum famam profluxerit. Optans proinde ſummis clareſcere diſciplinis quidquid etiam noctis erat reliquum (utpotequi ſanum a natura corpus habuerat) ſomno aliquando ſubtraxit, librisque perlegendis ad multam noctem inſumſit. Neque praeter Archimedis, & Apollonii libros res a Galilejo, Carteſio, Newtono ſubtilius excogitatas perpendere unquam neglexit; quin & grave piaculum arbitratus eſſet Arnaudii, Malebranchii, Nicolii, Paſchaliique lectionem aſſiduam praetermittere, graviſſimum vero eruditiorem aliquam SS. Patrum non evolvere tractationem. Et quoniam mathematicis perquam diligenter incubuit ſemper meditationibus, id ſolum ſibi ſolatii eſſe ingenue fatebatur, muſicis ſcilicet rebus interdum exhilarare animum ab ſtudiis feſſum ſeverioribus, atque aptatis genio concentibus delectari. Quo certe ſubſidio id vel maxime effecerat ut taedium omne identidem adveniens dulciſſima voluptate depelleret, & quidquid bonis eſt adverſum exercitationibus perjucunda animi relaxatione leniret. In ea vitae ratione id praeſertim legendo, meditandove ſibi praeſcripſerat ut non contemneret parva, ſine quibus magna conſiſtere nequeunt, neque minuta quaeque ſcientiarum omnium, atque exilia negligeret, dum grandia ſedulo, ſtudioſeque conſectaretur. Vnde quod ſibi datum fuerat temporis ad ſcientias comparandas, id ille non jam, ut plerique juvenum, in amicitiae conſumſit periculis, ac reliqua ſaeculi vanitate; quin potius ſenilis quaedam jam tum in eo maturitas apparebat, nihil ut ferme ſuſceperit inveſtigandum, quod non ad perfectam illuſtrationem proprio labore perdu-

duxerit. Quis non miretur ejuſmodi ſcientiarum amorem ſtrenui animum juvenis pervaſiſſe vehementius, ut perſaepe dictitantem quis audiverit nihil adinveniri ſapientia praeſtantius, jucundius nihil, eamque, ſi oculis cerneretur, amores ſui excitare poſſe planè mirabiles? At enim cur tantus ſapientiae amor in Giacomellio? Quia nempè veritatis ſcientiam, quae philoſophia dicitur, calluit univerſam. Perſpexerat ille quidem eſſe hanc vitae ducem, virtutis indagatricem, expultricemque vitiorum, atque ipſam peperiſſe olim urbes, in vitae ſocietatem diſperſos homines, & in tectis ſylveſtribus abditos congregaſſe, ut inde iis litterarum, vocumque communione conjunctis inventrix evaderet legum, ac magiſtra fieret morum, & diſciplinae. Eum vero id temporis ſacris initiatum myſteriis, & ad ſacerdotale munus, ſicuti ardenter optaverat, properantem, praeſtantemque doctrina advocat Romam humaniſſimis verbis municeps fama percelebris Forteguerrius. Ille autem patriam, parentes, amicos valere juſſit, ſuamque ſibi felicitatem tacite gratulatus eam in urbem libentiſſime commigrare non renuit, ubi aucta ſubſidiorum copia id tandem potuit, quod Piſtorii nunquam propria inopia potuiſſet; ſiquidem ad doctiorum hominum ſectanda veſtigia ſe ipſum alacritate mirabili, & occulto quodam animi ardore ſentiebat impelli. Socium ibidem ſtudiorum, & adjutorem adjungit Fabronio, qui ob eximias animi, ingeniique dotes a Clemente XI. Romanorum P. M. purpuratorum PP. collegio fuerat nuper adſcriptus. Et licet ab indocta quorumdam aemulatione invidam aliquam ſubiiſſet ſtatim acerbitatem, & non levem moleſtiam, haec tamen inter diſcrimina ejus conſtantia haud parum enituit. Verum etſi laetus in eam

perrexit urbem ingeniorum altricem, fautricemque percelebrem, eam initio perpeſſus animi aegritudinem oculos cum ad paternos lares, ubi primi ordinis homines multa pollicebantur, tum ad Piſanam academiam, ubi honorificum ſperare juſſus docendi munus quietum, pacatumque vitae genus potuiſſet amplecti, identidem retorquebat. Tantum reapſe abeſt ut innata quaedam deſit ſapientioribus etiam mortalibus trepidatio; quin potius ancipiti cogitatione diſtracti quo propius ad ſupremum rerum ſuarum culmen acceſſerint, eo longius a tanto fortunae periculo abhorrere videntur. His ſpontè neglectis, omnique abjecto, generoſa ut virtus ſolet, diſplicentis animi taedio, non alio tandem eam in urbem conſilio ſeſe accerſitum meminit Giacomellius, niſi ut veram in lucem prodiret hominum, ſcientiiſque ſublimioribus, & liberalibus artibus dum vacaſſet, in oblatis ſibi libentius conquieſceret proficiendi occaſionibus. Quibus fretus vir non indiligens nihil omnino intentatum reliquit, ibique moram trahens ne quid ſibi ipſi ad animi deeſſet culturam, neu elaberetur occaſio proficiendi, utiliora quaedam, quorum cognitione jamdiu caruerat, non perfunctorie, ut plerique ſolent, addidicit idiomata, quibus alienas interpretaretur cogitationes. Huic quoque litterario ſubſidio conſultum oportuit. Tantam impendiſſe verbis operam aetate adhuc integra viſus eſt, non ſatis ut temporis ad ſtudendum rebus penè ſuppeteret, rurſuſque tantum in rebus locaſſe laboris, ut ad verborum acquiſitionem vix tempus relinqueretur. Qua re per Fabronium animadverſa Giacomellii opera in iis uſus eſt difficultatibus enodandis, quae Romam inter, ac tranſalpinos quoſdam a recta fidei ſemita temere aberrantes viguerant. Viderat enim

rem

rem non occurrere ullam tam arduam, tamque difficilem, è ſacro maxime, ac civili jure manantem, quam ſuorum ſocius, adjutorque ſtudiorum, atque perutilis contubernii communione ſibi conjunctus non perficere ſeſe poſſe generoſa quadam alacritate confideret. Haec eo tempore Giacomellius. Neque mirum ſi magno paullatim penes Romanos in honore eſſet, quum ſcriptorum qua ſacris, qua profanis rebus excellentium genus perſpicerent adinveniri nullum, in quo non videretur diligentiſſime verſatus. Graecos revera pervolutabat aſſidue, nocturna verſabat, diurnaque manu Latinos, atque id in cauſſa fuit, ut permulta, quae dixit, & ſcripſit eum declararent magnae ſapientiae virum, qui Atticos aequare poſſet eruditione Graeca, & latinitate Romanos. Iis tamen infenſus ſcriptoribus, quorum libri cultiores ſaepe urbes pervadunt, atque in juveniles manus facile in iis maxime regionibus obrepunt, ubi quaedam acerrime debacchatur quidlibet opinandi, ſcribendique licentia. Novos aliquot philoſophos ingenio malo, pravoque, quotquot noſtra tulit aetas, intolerabilis ſuperbiae a doctis viris inſimulari theologia duce jam viderat, atque eam ob rem adductos eſſe in invidiam religionis, atque incredulorum infamia conflagraſſe. Comiter quidem excipere ſolitus diſcendi cupidos, beneque moratos adoleſcentes, atque optans ut eorum in ſtudendo alacritas minime relangueſceret, nil antiquius habuit quam optimis eos recreare conſiliis, atque efficere ut crebri eſſent in ſtudiis, & morum integritatem diligerent; ſeverus tamen in corripiendis indoctis, alacer in exhortandis; alienus inſuper ab eorum conſortio, qui etſi ſtudiorum praeſidio ad opes nitebantur, & gloriam, magis imperitorum plauſu, quam veri con-

 ſcien-

ſcientia delectarentur, atque iis maxime infenſus, qui factioſis praediti moribus nulla quum explorata rerum ſpe niterentur, tamen perfricta fronte auderent optata pro certis venditare, ac ſublimioribus fraudolenter inhiare muneribus. Pergratus reapſe Forteguerrio, Fabronio, caeteriſque, quibus beneficium aliquod referebat acceptum, interiore grati animi ſenſu commovebatur, hominum aliquot illiberalitatem objurgans, atque ſocordiam, qui beneficia aſperitate verborum, ac torvis oculis in odium adducunt, eo ſermone uſi, ea ſuperbia, ut impetraſſe poeniteat. Nemini planè dubium alienas introſpexiſſe cogitationes perquam facile Giacomellium, & civiles ſcientias adeptum de natura humana, de moribus, de effectibus ſagaciter diſputaſſe. Amicos non aſſentatoria fraude, ut moris eſt, ſed ingenue excolebat, permulta docens dum prudenter interrogaret, ſuamque etiam ſine fuco tradens ſapientiam omnem dum interrogantibus reſponderet. Hic autem ſic ſe gerebat, ut communis infimis, par viris principibus videretur. Illud revera primum fortunae munus quod in eam potiſſimum urbem contulerit ſeſe, in qua quum olim domicilium orbis terrarum eſſet imperii, ſanctior ipſa religio ſedem inde locavit ſuam, deque abjecta infidelitate ſtrenue triumphavit, atque eamdem quaſi patriam haberet, & dominam; hoc vero probitatis ſpecimen, atque ſapientiae, quod quum in ea degeret, quae antiquitate, humanitate, doctrina caeteris antecelleret, communem exiſtimationem fuerit aſſequutus. Quantopere autem auxerit ejuſmodi vim exiſtimationis multiplex, eaque perelegans elucubrationum aliquot recitatio in capitolinis conventibus habita, ubi ex inſtituto majorum de artium optimarum laudibus habendus eſt ſermo,

haud

haud facile dictu eſt : Satis enim dixiſſe fuerit quod quum de picturae , ſculpturaeque praeſtantia ſermonem die quadam injecerit, tam bene demonſtraverit, tam appoſite Giacomellius philoſophicis eas artes , ac geometricis diſciplinis majorem retuliſſe perfectionem acceptam, ut a ſapientibus viris, quotquot adfuerant, communem plauſum , communemque probationem extorſerit . Verum ut reì quoque erat antiquariae peritiſſimus publicum aliquod vel in quirinali coetu praebuit Graecae, Romanaeque ſpecimen antiquitatis, quod ei monumentum peperit aere perennius, nullaque temporum injuria intercidendum. Sic liberalitate uſus primorum virorum , atque amicis bene juvantibus Romana itidem ita paravit , illuſtravitque litteratorum collectanea , quae Romae conficiebantur, ut ſi quid novum è difficilioribus erutum tractationibus attente perlegens quiſpiam, docte non minus , quam eleganter vidiſſet expoſitum, ejus rei ſcientiam regerere non dubitaſſet in Giacomellium ; ſiquidem nova, bene quum oculis ſubiiciuntur, ingenerant & admirationem, & voluptatem . Tantae proinde virtutis fama , quae Romam univerſam pervaſerat , vel in primis fuit cauſſae cur ejus familiaritatem per ſuperioris ordinis homines conquiſitam Romanus ipſe Pontifex familiaritate quoque ſua ſubciſivis horis nobilitaverit , & aureum illius calamum in rem ſuam litterariam non ſemel traduxerit . Is erat ea tempeſtate Benedictus XIV. è Lambertinia gente, qui conſueverat non jam cum garrulis, indoctiſque verſari, verum cum hominibus ſumma doctrina fulgentibus , & ipſemet rei ſacrae cujuslibet indagandae, atque illuſtrandae cupidus proponere de quo inter ſe invicem diſputarent. Ea erat prudentiſſimi ſenis, & ſapientiſſimi

prin-

principis oblectatio . Jamque omnes dici vix poſſe animadverterant quantum ſacrae praeſertim litterae tanti praeſidis ope juvarentur . Ipſe etenim ne in umbratili vitae genere, ut fieri plerumque adſolet, languerent ingenia, inſtaurato hominum doctiſſimorum conſeſſu regiae domus fores avide, ſtrenueque reſeravit, & quorum antea privata uſus erat conſuetudine, eos publico veluti hoſpitio honorificentiſſime cenſuit excipiendos . In adeundis vero principibus viris ea ſemper fuit Giacomellii ſagacitas, & mira ſolertia, cunctas ut negligeret aulicorum moleſtias, eorumque contumaciam philoſophica conſtantia retunderet, indignationemque non pertimeſceret . Hanc ob rem permultis arriſit ejus vitae ratio, quam ſummis ipſe laudibus jam exornaverat Lambertinius, per quem accerſitus quum fuerit quaſi novae ſocietatis a ſe inſtauratae moderator effectus eſt . Quare in publicis hiſce conventibus, quibus academiae ſacrae inditum nomen, de re aliqua ſermonem inſtituens Giacomellius, utpotequi non mirifica modo vernacule loquendi gratia, ſed pari facundiae, ingeniique laude commendaretur, rapiebat ad ſe communem omnium admirationem . Quam quidem vel ea extorquere ut quum maxime viſa ſunt, quae non ſolum Italice, Latineque, ſed Graece quoque complexus eſt . Eum revera ad facilem optimarum rerum imitationem natura ipſa produxerat . Quum enim aſſidua imbutus ſcriptorum doctrina excellentium lectione animum adiiceret ad ſcribendum, cuncta, quae mente comprehenderat, rerum ſelectiorum exempla, non verborum tantum nitore, ſed & ſententiarum dignitate referebat . Tantum in eo fuerat flumen ingenii, tanta dicendi, aut ſcribendi vis, tantaque copia, quae non

exor-

exornare ſolum, ſed veteres etiam eloquentiae magiſtros adaequare potuiſſet. Quando autem in libris elegantioribus, Latinis praecipue, ſermonis floſculos, verborumque leporem ſtudioſe captaſſet, ita elegantem Plauti, Terentiique ſcribendi rationem amplexus eſt, prologos ut vel ipſe confecerit eorumdem ſcriptioni perſimiles. Noverat ipſe quidem Latini elegantiam ſermonis Tulliano more quaerendam, illiuſque culturam ab exteris quibuſdam deſpectui fortaſſe habitam potiori jure ad Italos pertinere. Ea etenim noſtra quum fuerit, ſcriptoribus noſtris blandita eſt, & eos ubique amplexata, apud nos degit adhuc, non hoſpes, non peregrina, ſi non omnibus numeris omnino ſervatis, certe minime deletis. Neque ab antiquis abſtinuit exſcribendis MSS. Codd. neque unquam profanas prorſus deſpexit lucubrationes dum ſacris incubuit. Etſi enim Chryſoſtomum illuſtravit, Modeſtum, Philonem, non abſtinuit tamen ab iis interpretrandis, aliquibus itidem Italice, aut Latine vertendis, quae a Caritone, Aeſchylo, Sophocle jactata fuerunt in vulgus. Itaque gratia, & exiſtimatione quum Romae floreret primorum virorum, quibus placuiſſe non ultima laus eſt, difficile dictu eſſe poteſt utrum plus ipſe incorruptis ornatus litterarum praeconiis virum quemque coleret praeſtantiſſimum, an ipſe plus diligeretur a viris principibus. Nulli fides ejus, nulli opera, nulli res familiaris defuit; intactus ab avaritiae, atque fallaciae ſordibus nonnullos pro viribus aere proprio, multos conſiliis optimis, complures ſcientia non vulgari locupletavit; quum inſuper ejus comitas non ſine ſeveritate eſset, neque gravitas ſine facilitate. Sed ab omni quoque faſtu, moribuſque imperioſis quum abhorruerit vehementer, adeo cum di-

gni-

Digitized by Google

gnitate miſcuit lenitatem, ut cenſorium ſi praeſeferre debuerit ſupercilium neque de exiſtimatione ſuavitas, neque lenitas quidquam de dignitate detraxerit. Vſus eſt familia, ſi utilitate judicandum eſt, optima, ſi forma, vix mediocri. Namque in ea erant viri bono praediti ingenio, foeminaeque ſapientes, quibuſcum erat conſanguinitate conjunctus. Neque tamen domeſticorum erat quiſquam, quem aut aliqua ſcientiae ſublimioris, aut cultioris idiomatis praecepta non docuerit Giacomellius. Propriam revera induſtriam nuſquam locatam melius arbitratus eſt. Quod quidem jucundiſſimum quum ſcitu fuerit uni, qui ob nobilitatem, atque divitias ex viris erat principibus in orbe Romano, obſecravit eum, atque obteſtatus eſt propriam vellet ne filiam nuptui poſtea tradendam ſanioris educationis principiis imbuere. Neque abnuit, id unum ſcilicet ratus quod ultroneam detrectare alios erudiendi occaſionem illiberale omnino, & ſubruſticum videri potuiſſet; quin ejus potius domum quum litteratus hoſpes impleverit, foeminae ingenium praeceptis quum è divinis Codd. atque è ſacro aliquo Auguſtini, Ambroſii, Hieronymi, Thomae, Gregorii, Baſilii libro, tum è profana, eaque ſelectiori Quintiliani, Ciceronis, Plutarchi, Senofontis, Iſocratis tractatione decerptis ita expolivit, ut & in uſum boni, & in ſpeciem populo eſſet. Docuit ſanè induſtriorem adoleſcentulam litteras, jura, & leges optimus inſtitutor, quippe qui in animum induxerat ſuum adeo morum ſcientiam ab ea percipi debuiſſe, ut nobilium reliquae foeminarum ſibi eſſe illius ſimiles impenſius expeterent. Eam profecto fides, fama, virtus, decuſque nuſquam deſeruerunt, atque optimae quaeque avide exoptarunt eam doctrinam ſibi. Id reapſe to-

tum

tum gaudio exſiliens praeſtiterat Giacomellius, animo reputans Romanam ſcilicet foeminam filiorum matrem inde evaſuram ſumma cura excolendam. Quod quidem tanto animi ardore cenſuit peragendum, ut dum eam liberalibus imbueret diſciplinis vetus Corneliae Gracchorum matris exemplum renovare videretur. Pergratum Roma ipſa ſuſpexit egregium virum Paſſionejo prae caeteris, Aſſemannio, Luccheſinio, Antonellio, Bottario, aliiſque bene multis, quos omni proſequebatur officio, & penes quos modeſtia, ſuavitate morum, eloquentia, eruditione ſublimiores familiaritatis tenebat gradus, atque benevolentiae. Quod quidem oſtendit quantopere conciliet animos hominum non doctrina ſolum, ſed comitas etiam, affabilitaſque ſermonis; quum ſemper itidem de omnibus bene ſenſiſſet, neque in eo fuiſſet unquam in alienis factis, dictiſve interpretandis ulla temeritas. Litterariam hujuſce viri clientelam compararunt ſibi complures abſentes fama percelebres, perſcripſerunt epiſtolam quampiam qua obſequii, qua eruditarum plenam quaeſtionum, quos inter memorare lubet Moneliam, Corſinium, Genuenſium, & Algarottium. Reſponſum illico nacti ſunt per familiares epiſtolas cum Latino tum populari ſermone exaratas, uno impetu fuſas, uti habebat in more poſitum, raro admodum bis lectas, ferè nunquam bis ſcriptas, ſed ut primum fluxerunt, eruditione tamen exquiſita, ſanoque rerum judicio undique diffluentes. Sed multiplicia quum eſſent quae ab eo exarata ſapienter per manus omnium circumferri videbantur, nil ſanè ſupererat aliud niſi ut ejus ſcientiae fama in dies percrebeſcente P. M. hominem tam bene de re litteraria meritum, & ſacro PP. Augg. ſenatui apprime carum

perquam honorifica conditione in ſecrectioribus tractandis ſeligeret aulae Romanae negociis. Nec mora. Latinis a Clemente XII. praeficitur epiſtolis ad principes conſcribendis, quo munere egregie functum non aequaſſe modo rebus, atque dictione alios, verum (quod dictum audacius non videatur) horum vel bene multos ea tempeſtate ſuperaſſe indubitatum eſt. Quum namque in ſublimioribus doctrinae fontibus diu haeſerit, plurimarum cognitione rerum compleverat animum, & jampridem ad humanae, ingenuaeque doctrinae modum, uſumque ſcriptione pereleganti temperaverat, atque ſubegerat. Ceterum ſummis in re litteraria perfunctus laboribus operae pretium eſſe duxit pro rerum opportunitate candorem, munditiemque Auguſteae aetatis non inani gloria ductus, ſed injuncti ſibi dignitate muneris, epiſtolis jungere. Meminit ille ſcilicet quantum Romanorum gloria Pontificum per Sadoletum cumprimis, Bembum, Antonianum, in quorum locum ſuffectus erat, adaucta fuerit, quantumque in abſtruſioribus agendis ſcriptione optima negociis Pontificiae dignitati acceſſerit majeſtatis. Quod ſi in epiſtola qualibet perſcribenda mirae fuit ſolertiae, ac non in rerum modo perceptionibus efformandis, ſed & in ideis acquirendis, judiciiſque clariori prorſus ordine diſponendis excelluit, id factum quod nempè philoſophica ſtudia maturiori etiam aetate non praetermiſerit, & geometricum pulverem nondum excuſſerit. Ac ne veritas in reſpondendo, agendoque (ut fieri ſolet) odium pareret, ita eam cum cautione conjunxit, ut de induſtria ab omni ambiguitate, atque obſcuritate verborum calamum ablegaverit ſuum, incertumque ſermonem omnem fuerit deteſtatus; barbaras itidem ar-

tes

tes, & ſubdolas oderit mendacii fraudes, ſatis ut appareret quantum inter prudentiam ſcientia comparatam, & calliditatem arte fraudolenta conquiſitam interſit. Jamque ſenectutem vir ſummus attigerat, quam ut adipiſcantur omnes optant, eamdem (tanta eſt hominum inconſtantia) accuſant adeptam. Quamobrem ad ſummos, promeritoſque honores evectus, maximeque Chalcedonienſium Pontifex renunciatus, aetatem licet ſuſtineret ingraveſcentem, tamen ſtudia nunquam praetermiſit, ea praeſertim, quae ſenectutem ipſam oblectant. Quid enim eſt ea ſenectute jucundius, quae juventutis ſtudia non negligit? Ejus certè inſederat animo, Cyrum nempè eo ſermone, quem moriens habuit, pernegaſſe ſenectutem ſe unquam ſenſiſſe ſuam imbecilliorem factam, quam adoleſcentia fuiſſet. Igitur nullus homini ſeneſcenti fluebat, evolabatque dies quin vividiori diſcendi cupidine diffluens venuſtioribus ſtudiis adiiceret animum. Quum inſuper inſequentibus annis ejuſmodi ſtudia tenacem propoſiti virum coegerit impenſius excolere inopinatus quidam conatus adverſae fortunae, utpote quae, ſi furentem inſtabilitate ſua aſpectum praeſeferat, ne honeſtis quidem, auctiſque dignitate viris parcere ſolet. Illa enim infauſto effecit auſpicio ut res tam proſperas, tamque magnificas ſubita conſecuta fuerit commutatio, quod repentino ſcilicet impetu quem paullo ante muneribus auctum praeſtahtioribus multum extulerat, ipſa demergere viſa fuerit. Fato neſcio quo factum ut quae proſpere ceſſerint praeſtantiſſimum virum debuerint in infortunia coniicere, & acquiſitis orbatum muneribus denuo ad litterarium otium traducere. Neque in re hujuſmodi expedit diù immorari, quum nihil eorum, quae narrantur, perſpicuum

Digitized by Google

ſit, ac videatur indignum alienam obterere famam incertis rumoribus . Eam vero indubitatum eſt ſuapte natura praeſetuliſſe indolem Giacomellium, ſtudiis indè perpolitam ſublimioribus, quae in cauſſa fuerat ut vel minima rerum diſcrimina quum promptius introſpexiſſet, ea ad veri cognitionem, acquiſitionemque traduceret, & ad mores hominum ſaepiſſimè conformaret . At doctrinae non ſemper fortuna comes . Rerum quippè humanarum inconſtantiam, quae vel homines decipit ſapientiores, optimi ſenis animum ita immutaſſe conſtat, & ad dubiam traxiſſe, fluctuantemque ſententiam ut difficilius, aliqua de re quum cogitaverit, ſibi acquieſcendum illico eſſe cenſuerit . Verebatur enim aliquando ne, ſi proprias cogitationes omnes hominum opinioni patefeciſſet, minus gratus, ſi quaſdam reticuiſſet, minus obſequens videretur . Neque fuit temere quod ejuſmodi cogitationum viciſſitudinibus ſervire debuerit, ut quietum, ſi fas eſſet, pacatumque animum dum optaſſet nihil unquam de ſcientiarum amore remitteret . Quaelibet tamen in irritum cecidit divinatio. Omni namque humano conſilio longè eſt altior divina vis . Quaedam interea alias gradatim exceperunt animi aegritudines vix, ac ne vix quidem ſolis humanae prudentiae conatibus abiiciendae. Quo factum nullam ut quum habuerit quietis ſpem reliquam, ſibi quoque ſumma aerumnarum varietate dejecto accedere tandem ſuſpicaretur repentinum aliquod malum, omniumque maximum. Actum revera de ſummo viro, de conquiſita tranquillitate actum. Accidit enim ut eo repente oblivioni tradito ſpes omnis ſublimiorum fortaſſe dignitatum, quae oculis ad gloriam properantis obverſabantur, paullatim fatiſcere, & tan-

de m

dem obſtupeſcente mundo corruere viſa fuerit. Vnde, ut ſunt humana, non abſque moleſtia inopinatum Giacomellii fuit otium, tametſi litterarium, & cum dignitate. Aequam tamen cupiens rebus in arduis ſervare mentem in opportunum advocata remedium religione, quae veros comitatur ſapientes, non jam irarum plenus excanduit vehementer, ſed hoc ejus inſedit animo, quod ſcilicet ignoſcere aliis perfectae eſt, cumulataeque virtutis. Ignovit profecto, eamque, ut potuit, aequanimitatem temperavit, ſuperavitque triſtitiam longè aliis infeſtam, luctumque terrificum, quo alii facile contabeſcunt, totamque alacri, invictoque animo ejus belli procellam ſubſtinuit, id ſecum reputans homo variis muneribus egregie functus, atque obtrectatorum incurioſus, & negligens quod non rerum diverſitas diſcrimen facit, ſed animorum. Quare hoc unum ſatis erit dictum, ex quo intelligi poſſit quantus ille fuerit. Non modo autem nullum in rebus adverſis detrimentum exiſtimationis fecit, verum penes ſapientes, cordatoſque homines, quoad vixit, virtutum laude crevit. Neque vero quod male cecidit male conſultum putavit; quum novis ſemper in ſtudiis otioſus a rebus publicis non vulgare ſolatium quaeſitum iverit. Sed tamen, ut homo erat, animo re inopinata perculſo, & annorum adjecto cumulo, languentibuſque paullatim corporis viribus, feſſus itidem angebatur magis ab ſtudiis animus, atque extremus inſtabat vivendi terminus, ad quem placide explendum virtute ſua beatus mentem, animumque paraverat vir praeſtantiſſimus. Vnde quum ſibi perſuaſiſſet deſperatam eſſe penitus valetudinem, atque intus ſerpere morbum omni arte majorem, quem ipſe unus valdè

fu-

furentem ſentiret, noſceret praeterea nemo, ſalutarem a Deo ſumma conſtantia expiationem, & indulgentiam ſibi decedenti precatus eſt. Hinc ingraveſcente valetudine, cujus fere nullam ſpem reliquam fecerat magiſtra medendi ars, divina jam hoſtia refectus, & ſacro delibutus oleo, omneſque ſacros ritus, qui ſunt morientium ſubſidia ultima, fideliter exequutus, annos aeternos in mente habuit planè deſperatus a medicis, quibus ereptum praeſidium omne, quo mortifero morbo conſulerent. Igitur a fervida bile ex anfractibus jecoris prorumpente, viſcerumque vitalium latebras permeante ſubitam humores verſi ſunt in putredinem adeo nervis infenſam, mortiſque miniſtram, ut ab ea latius diffuſa extinctus tandem fuerit Giacomellius ille, qui in divinarum, humanarumque rerum cognitione pares habuit fortaſſe perpaucos. Haec de viro celeberrimo. Romae obiit XV. Kal. maii an. MDCCLXXIV. Clemente XIV. Chriſtianorum P. M. quum annos vixiſſet laborum plenos LXXVIII. menſes VII. dies V. & ne ejus oſſa operoſum premeret ſepulcrum, neve inter luctum arderet ambitio, parentalibus perſolutis in s. Petri, ſicuti juſſerat vivens, communi tumulo donatus eſt. Jamque funus acerbum pios bonorum omnium animos conſternavit. Ehu dolor! Quis non daret lacrimas? Tu vero, felix Giacomelli, qui non vitae tantum laude, ſed etiam opportunitate mortis memorandum tui exemplum, ac deſiderium poſteris reliquiſti, placide quieſcas, & ſi permultos inglorios oblivio citius obruet, tuarum certè virtutum memoria apud omnes ſuperſtes erit. Fuerat ille quidem egregia forma, corpore valdè robuſto, venuſtoque; grato, plenoque jucunditatis, ac dignitatis aſpectu, ut cui-

vis

vis iniiceret admirationem ſui ; crine itidem ruber , elata fronte, vivacibus oculis , inceſſu gravi, modeſto geſtu . Efficax in eo fuerat ingenium, & ſtudium ad animos hominum demerendos; quum inſuper munditiem corporis adhibuerit non odioſam , neque exquiſitam nimis , quae tamen inhumanam, & agreſtem fugeret negligentiam . Non vulgaris enituit in eo comitas ex vultu, ſermone , conſuetudine, neque mira in ore hilaritas defuit, in congreſſu urbanitas , atque facilitas , in agendo lenitas, atque ſuavitas. Vir certè fuit ſummus , omnique dignus honore, ac veneratione , quem virtus maxime commendavit, quum animum geſſiſſet, qualem omnes ſemper obtinuerunt, quos ad commune bonum ſapiens natura produxit .

IN-

Digitized by Google

INDEX.

Andriae titulus. pag. I.
Epiſtola ad Strangium. III.
Verſiculi, quibus populo edictum eſt de Andriae, Adelphorum, & Phormionis fabulis agendis. IX.
Epiſtola ad Hallerium. XIX.
Prologus Andriae dictus quum fabula daretur populo. XXV.
Eunuchi titulus. XLIX.
Epiſtola ad Oberlinium. LI.
Verſiculi, quibus populo edictum eſt de Eunuchi, & Hecyrae fabulis agendis. LVII.
Heautontimorumeni titulus. LXIX.
Epiſtola ad Fernerium. LXXI.
Verſiculi, quibus populo edictum eſt de Pſeudoli Plautini, & Heautontimorumeni fabulis agendis. LXXV.
Adelphorum titulus. LXXXIII.
Epiſtola ad Somiſium. LXXXV.
Prologus Adelphorum dictus quum fabula daretur populo. LXXXIX.
Phormionis titulus. CXIII.
Epiſtola ad Caſatium. CXV.
Verſiculi, quibus populo edictum eſt de Phormionis fabula agenda. CXXV.
Epiſtola ad Pagninium. CXXXI.
Prologus Phormionis dictus quum fabula daretur populo. CXXXV.
Hecyrae titulus. CLXIII.
Epiſtola ad Rooyum. CLXV.
Prologus I. Hecyrae dictus quum fabula daretur populo. CLXXI.
Epiſtola ad Mariottium. CLXXXIII.
Prologus II. Hecyrae dictus quum fabula daretur populo. CLXXXVII.

AN-

ANDRIA.



TITVLVS.

ACTA . LVDIS . MEGALENSIBVS . M. FVLVIO . ET . M.
GLABRIONE . AED. CVR . EGERVNT . L. AMBIVIVS
TVRPIO . ET . L. ATTILIVS . PRAENESTINVS . MODOS
FECIT . FLACCVS . CLAVDI . F. TIBIS . PARIBVS
DEXTRIS . ET . SINISTRIS . ET . EST . TOTA . GRAECA
MENANDRV . EDITA . M. MARCELLO . ET . C. SVLPICIO
COSS. AN. AB. V. C. DLXXXVII. ANTE . XPTVM . NATVM
CLXII. ACTA . DENVO . ROMAE . AB. ACADEMICIS
LATINIS . IN . THEATRO . COLLEGI . SALVIATI . MENSE
MAIO . AN. MDCCXXXVII.

PLACVIT .

Digitized by Google

II.

EX ANDRIA.


Obſequium amicos, veritas odium parit.
Act. I. ſc. I. v. XLI.

Ingenium eſt omnium
Hominum a labore proclive ad lubidinem.
Act. I. ſc. I. v. LI.

Dum in dubio eſt animus paullo momento huc illuc impellitur.
Act. I. ſc. V. v. XXXII.

Facile omnes quum valemus recta conſilia aegrotis damus.
Act. II. ſc. I. v. XL.

Amantium irae amoris redintegratio eſt.
Act. III. ſc. III. v. XXIII.



Digitized by Google

ANTONI MATANI

AD IOANNEM STRANGIVM EPISTOLA.

VENETIAS.

EN fidem exſolvo, mi Strangi, Giacomellii dum prologos in Terentium, atque verſiculos una collectos, illuſtratoſque evulgaturus eorum aliquem nomine, uti ſpoponderam, praeſidioque tuo volui condecoratum. Et quia ſedulam perſaepe animadverti ſtudioſe dediſſe te operam ne quid laborum meorum tibi eſſet ignotum, propterea non dubito quin illud maneat alta mente repoſtum, de quo ſtudium ejuſmodi quum animo volutarem, per me ſuperiore autumno certior es factus. Neque eſt cur mecum ulla tibi ſit familiaris expoſtulatio, quod prius ſcilicet promiſſis non ſteterim, fluxamque, ut ajunt, geſſerim fidem. At velim illud pro certo habeas occupationibus factum meis ne quam dederam liberare illico valerem. Cave igitur putes reſcribendi officium aut illiberali oblivione, aut ulla omnino inhumanitate mea praetermiſſum. Viget adhuc ſatis ſuperque memoria tui olim in Etruria degentis, ad quem accedebam nunquam, quin inſtructior abirem. Tu planè non ignoras quantam me in laetitiam conjecerit ſemper ejuſmodi recordatio. Pudet, ingenue fateor, tam ſero ad epiſtolas reſcribere tuas; aſt compluſculis ignoſcas velim, quibus diſtineor, meditationibus, quae in cauſſa eſſe aliquando ſolent quominus erga amicos ſim tam officioſus quam vellem. Sed quoniam litterae tuae, ſi quando alias, nunc me oblectarunt maxime,

poſtquam renunciatum mihi eſt te patria fuiſſe digreſſum, atque Venetias muneris honorificentiſſimi, quod tibi fuit ab Anglorum rege demandatum, exercendi gratia conceſſiſſe, his utpotequae ſuavitatis plenae ſunt, & amoris, ubi primum licuiſſet, erat in animo ſatisfacere. Et quoniam inventae illae ſunt ut noſtrarum reddantur interpretes cogitationum, atque certiores faciamus abſentes ſi quidpiam ſit, quod eos ſcire aut noſtra, aut ipſorum interſit, iiſdem amice denuo tecum loquor, tui ut ingenii, quo mirifice delector, venuſtam itidem contempler imaginem. Quis litterariis Strangii laboribus non ſubſcripſerit? Doctioribus hominibus ſubſcribunt omnes, eoſque adſciſcunt ſibi quaſi propinquitate conjunctos. Certe ego ad prologos quod attinet ſic ſtatuo, nullam ab ſingulari humanitate tua unquam perliberalis amoris in me tui notam inſigniorem ea exhiberi potuiſſe, quam opinioni te meae ſubſcribens declaraſti. Iamque ceſſit res è ſententia. Tu vero rem, ut ſoles, acu tetigiſti, quum noveris ſcilicet quantum Giacomellio (quum Giacomellium dico, idoneum latinitatis judicem dico) cumprimis auctore humaniorum litterarum profecerint ſtudia; ea ſiquidem eam in lucem venere, quae malevolorum invidiam, improborumve calumniam non pertimeſcit. Quae ne a me temere dicta fortaſſe arguas, velim tecum animo reputes ſcriptionem ejus candorem, munditiemque Auguſteae aetatis praeſeferre, atque ita Plautinos eum adoptaſſe lepores dum ſeſe ad ſcribendum appulit, elegantiamque calluiſſe Terentii, ut pene incertus ſis utrum res comicas ipſi exhibuerint melius, an ipſe potius uberius expreſſerit. Haud aliter ab eo judicabis fuiſſe praeſtitum, qui Tul-

lia-

lianum ſcribendi morem dum quaeſitum iret, oculos ad Plautum, Terentiumque identidem retorquebat. Nec minus accurate ſcriptionem ille ſuam multa prius litura coercitam vel a minutulis barbariei maculis tuebatur, quam qui pretioſis ornati veſtibus via lutulenta coguntur incedere. Sapiebat ille quidem pleno pectore. Crede meo periculo; atque haec quum ſcribo recentioribus Giacomellii prologis in caelum elatis ne putes me parvipendere quae alii ſcripſerint ex veteribus, quos quanti quiſque facio. Venio ad propoſitum. Neque ab re facturum me judico ſi verſiculos ad te mittam, quibus populo edictum de Andriae, Adelphorum, & Phormionis fabulis agendis. Eos leges, opinor, perlibenter, quos magnifice, ſolideque homo Latinae linguae probe gnarus, ac de re litteraria cum Graeca, tum Latina meritus ut cum maxime abſque ullis verborum oſtentatiunculis aetate adhuc florente conſcripſerat. Fidelibus videbis ſubjectum oculis doctiorum hominum quidquid Romae peractum dum populus ad ſpectandas invitaretur hujuſmodi fabulas, quae utilitatem redolent ſummam ſingulari cum elegantia conjunctam. Age vero inter comicos veteres quam pauci utiles ut Terentius, & elegantes! Ego non invitus conceſſerim vel inter tragicos cum Graecos, tum Latinos Terentianam deſiderari perſaepe moderationem, quae utilitatis, & elegantiae plena quum ſit inſtruit ſimul homines, & delectat. Te enim non latet alios multa indomito quodam fervore criminari laudibus exornanda, haud pauca vero alios, miſera certe ductos ambitiuncula, ſeu mavis irrequieto animi impetu verbis efferre, quae nonniſi improbanda duceret quiſpiam. Anne vides, ut ex multis exemplum congeram

geram ſingulare, penes Graecos in more fuiſſe poſitum ut eorum nonnulli modo foeminas ſingularibus ornarent commendationibus, modo verbis, ſcriptiſve proſcinderent maledicentiſſimis, atque ab eis ita abhorrerent, eo ut nomine caeterorum infamia Graecorum facile conflagraverint? Non ita Terentius, Giacomellius non ita. Sed rem, uti eſt, ipſe vides. Eam tenes; gaudeo, & volupe eſt mihi. Haec tamen nunc perſequi, tametſi paucis, placuit; ita nimirum ut non diſtincta ſingularum rerum enumeratio videretur habita, ſed delectus. Ad animadverſiones quod attinet a me exaratas magnam ſanè rem, dicerem etiam audacem, ſum aggreſſus, ad quam timide me fateor acceſſiſſe. Tuum ergo erit veniam dare mihi ſi quod in exploranda vel Terentii, vel Giacomellii mente peccatum admiſerim; humani namque nihil a me alienum puto, planè conſcius calamo fuiſſe opus magis callido, magis diſerto, ingenioque ad majora prorſus idoneo. Id vero per me ideo praeſtitum vides, ne data detrectarem ab amicis conſilia, neu ipſi renuenti mihi ſocordiae alicujus inurerent notam. Nec plura. Quid enim è re viſum eſt ingenue aperui. Vtinam operam noſtram, quantulacumque futura ſit, tu ſaltem, mi Strangi, aequo animo accipias, qui noveris ſcilicet me ne tantillum quidem laudis quaerere, mea ſi forte non diſplicuerint; omnem itidem gloriolam iis relinquere, qui putidiuſculo, puſilloque animo quum ſint, exſiliunt gaudio, ambitione inflantur, popularem quotieſcumque auram aucupentur impenſius. Hem! Tu vero hunc ſi probabis laborem, meam nuſquam locatam melius arbitrabor induſtriam. Ego etenim venditarias quaſdam odi ſemper, ineptaſque eruditae vani-

tatis

tatis fallacias. Vnde meum non improbabis conſilium, ac ſi male conſultum quidpiam videbitur haud iniquo animo feres, & veniam dabis. Quod quidem per te ſperare licet, propterea quod arctiſſimo jungimur vinculo antiquae benevolentiae, quam multo reddit arctiorem Anglicana ſapientum ſocietas, cujus in album relati naturalia fovere ſtudia non praetermittimus. Sit noſtrum, vel dum humaniores litteras colimus, ſcriptiſque delectamur elegantioribus, ipſam quotidie magis qua obſervationibus, qua experimentis interrogare naturam, aliquam aſſidue ejus vocem elicere, ſenſum interpretari prudenter, atque illius concelebrare ſapientiam in dies. Vt enim nonniſi tundendo extundas ignem è ſilice, ita ex abditis quibuſdam ejuſdem theſauris nonniſi res illas, quas ſinu veluti ſtudioſe celat, vehementi licet conatu, haurire poſſis. Et quoniam nil tam difficile quin quaerendo inveſtigetur, tu planè vides, quippe qui totus fere es in obſervationibus perficiendis, qui fieri poſſit ut inſperata magis accidant ſaepe, quam quae ſperes. Dictum ſapienti ſat eſt. Tu interim, amicorum optime, tota de re quid ſentias velim me commonefacias, & ſi me amas labores ama, & ſtudia. Cura ut valeas. De quibuſdam a me inſtitutis experimentis, quibus naturalis hiſtoriae augeatur utilitas, ſcribendi occaſio dabitur litteris proximis, ac caetera, quae ſumus polliciti, propediem expectabis. Pauculas certe aſſervo quaeſtiones in commentarios relatas, de quibus te faciam certiorem, ut ſi quid forte profecerim perquam accurate explores, atque perpendas. Compluria forſitan introſpexiſſem ſi mihi divitiarum fuiſſet affatim. Eo namque ſum ab invida fortuna detruſus, ardens ut illa philoſophiae natu-

turalis magis, ac magis percipiendae cupido, quae me olim invaſerat, ob rem domi anguſtam identidem deferbuerit. At id quoque, fateor, placide, moderateque ferendum. Neque poſſum modo paucis plura proloqui. Scire aveo an obſervationes tuas è naturali depromptas philoſophia, eas maxime, quas in litore Italici maris olim inſtituiſti, ad praelum paraveris; Stenonis itidem commentarium, ut mihi ſuperioribus annis innueras, ad finem perduxeris. A te multa anxie expectantur, quae nonniſi ab ſumma virtute, ſummoque ingenio expectanda ſunt. Noli quaeſo poſt tot exantlatos labores fruſtrari communem expectationem. Velim mihi ad omnia reſcribas, eripiaſque otium è ſummis occupationibus, ne occaſionis praetervolet opportunitas. Audin' tu? Reſcribe quam primum. Cave putes ullas mihi litteras gratiores quam tuas. Sed finis, ne re, quod ajunt, ſit major acceſſio. Si quid per me curari tibi velis audacter imperato. Etiam, atque etiam vale.

PISIS PRID. NON. MAI MDCCLXXVI.

VER-

VERSICVLI

QVIBVS POPVLO EDICTVM EST DE ANDRIAE ADELPHORVM ET PHORMIONIS FABVLIS AGENDIS.

QVos jam latinae (*a*) ſuavitas (*b*)
Comoediae (*c*)

Ce-

(*a*) Latinas Terentii comoedias una jam, aut altera, mox plures exceperant Plautinae, maximeque Aulularia, Miles, Pſeudolus, Rudenſque, velut ipſa declarant verba Giacomellii *Verſic. in Heautont. & Phorm.* Illarum cum ſuavitas, leporque, tum venuſtas, & elegantia iis non diſplicuerat, qui Romanae praeerant Latinorum academiae. Eam privato conſilio ab ſtudioſis juvenibus Romae inſtitutam Clemens XII. Chriſtianorum P. M. ſuo confirmatam praeſidio tutelae commendavit purpuratorum PP. Antonii Gentilii, ac Nerei Corſinii, quumque perſpectum habuiſſet Latinae cultores eloquentiae ſola Pontificii patrocinii, atque beneficentiae ſpe ali potuiſſe, inſtitutum probavit edendi veteres comicorum fabulas. Hinc publica auctoritate anno MDCCXXXVII. in theatro collegii Salviati Andria primum eſt habita, actaeque denuo Adelphorum, & Phormionis fabulae, triplicem ut afferrent voluptatem ſpectatoribus, qui Latinam coluiſſent eloquentiam. Reliquae demum annis inſequentibus actae, omneſque editae juxta Vaticanum exemplar, cui verſio Nicolai Forteguerrii Piſtorienſis olim adnexa fuerat.

(*b*) Penes comicos, tragicoſque Graecos legitur paſſim γλυκύτης, & penes Latinos aliquando *ſuavium*, atque *ſuaviſſudo* non ſemel. *Thais mea*, inquit Thraſo, *meum*

B ſua-

ſuavium ! Quid agitur ? Terent. Eunuch. Act. III. ſc. II. v. III. *Age* (ſunt Sagarinii verba) *mulſa mea ! Suavitudo ! Salta* . Plaut. Stich. Act. V. ſc. v. v. XIV.

(*c*) Comoedia , quam vindemiae tempore inventam tradidit Athenaeus *Deipnoſ. L.* II. *c.* I. & quam aſſerente Heinſio *Dramatic. n.* IV. a vetuſtiſſimis derivatam fuiſſe bucolicis traditum eſt *Evanth. De tragoed. & comoed.* a κῶμος , ſive χάμος , ut putat Voſſius *Inſt. poet. L.* II. *c.* XXII. deſumpta videtur . *Gyrald. De comoed. n.* III. Chamos enim nocturnarum veluti commeſſationum inſtitutor quondam a Moabitis renunciabatur , atque ejus in ſacris Codd. mentio fit . *Num . C.* XXI. *v.* XXIX. *Reg. L.* III. *c.* XI. *v.* VII. Eam vero primum apud Athenienſes viguiſſe conſtat, utpotequi per vicos adhuc diſperſi in unum compelli locum , & congregari laeti , alacreſque conſueverant , ibidemque rudibus primum , incultiſque carminibus hominum maxime potentiorum vitia perſtringere . *Donat De comoed. & tragoed. n.* X. Sed etſi pervetuſta eſt fabularum agendarum origo , eaſdemque cum apud Graecos , tum Romanos viguiſſe , atque in nationes alias earum irrepſiſſe uſum non ignoramus , tamen penes vetuſtiſſimam Hebraeorum gentem altum hac de re ſilentium . Perſpectum quidem habeo Iudaeorum ſynagogis interfuiſſe aliquando fabulatores , ſic dictos quod in moralibus quibuſdam fabulis explanandis , atque exponendis adlaborarent , & tales inter Iſmaelitas praeſertim , & Idumaeos fuiſſe traditum eſt incolas Merrhae , & Theman . *Baruch. C.* III. *v.* XXXIII. Eorum vero ſynagogae , ſeu ſcholae , quarum antiqua non videtur origo , ut animadvertit Sigonius *De republ. Hebraeor. L.* II. *c.* VIII. conclavia erant iis haud diſſimilia , quae a Graecis προσευχαί dicebantur *Act. Apoſt. C.* XVI. *v.* XIII. ſive domus congregationis , veluti loquuntur thalmudiſtae *Tenzel. de proſeuc. Iudaeor.* ubi legis , moruma ve praecepta magiſter aliquis è rabbinorum conſeſſu delectus docere populum conſueverat . *Maimonid. De fundam. leg. p.* LIX. Habuiſſe autem quamdam cum theatris Graecorum ſimilitudinem ex Lightfootio *Hor. thalmudic.* Seldeno *De jur. nat.*

nat. Wallaejo *Comm. in Act. Apoſt.* aliiſque deducitur bene multis; ſed ignoratur ſanè num ſcenicum quidpiam ibidem repraeſentaretur; ſiquidem Ionathamius in Aramaea verſione Babylonici thalmudis §. XXXIII. ludos duntaxat commemorat Romanorum. Prioribus tamen Chriſtianorum temporibus ideo deſpectui coeperunt haberi theatra, quod ea apud gentiles quum eſſent nationes veluti ſynagogae quondam fuerant penes Iſraelitas, loca videlicet inſtruendis, erudiendiſque populis conſecrata, aequum profecto erat per SS. Patres vituperari eos, qui in unum maxime convenifſent, ubi propagata quaevis inſtructio valdè monitis Chriſtianorum adverſaretur. Antiquas vero Graecorum comoedias mediae, novaeque exceperunt *non ſine multa laude*, ut inquit Horatius *De art. poetic.* v. CCLXXXVIII. easque Romani togatas (ſit verbis venia) praetextatas, palliatas inde vocarunt *Ferrar. De re veſtiar. P.* II. *L.* IV. *c.* I. quae nil aliud eſſe debuerant niſi vitae imitatio, ſpeculum conſuetudinis, imago veritatis. Ejuſmodi profecto ſunt quae inter Latinos a Terentio praeſertim jactatae fuerunt in vulgus, quaeque ita comparatae videntur, ut neque extumeſcant ad tragicam celſitudinem, neque abiiciantur ad mimicam vilitatem. Eas vero non a nomine tantum, ut Phormionem, & Hecyram, atque a loco, veluti dicendum de Andria, deſumptas agnoſcimus, ſed a facto etiam, quemadmodum eſt Eunuchus, & ab eventu, uti demonſtrant Heautontimorumenos, & Adelphi. Quod ſi novarum nomen propriis indidit Terentius comoediis hoc factum quod *veteres fabulas*, ut cum Scaligero loquar, *Livii Andronici dicimus*, *Pacuvii medias*, *Terentii novas*, *quia hic poſtremo ſeculo, ille priſco, Pacuvius medio natus eſſet.* De comoed. & tragoed. C. III. p. XXV. Eas quidem novas comoedias prae caeteris Faernius reſtituit *adjutus* (ut verbis utar Silvii Antoniani, quibus ipſas Faernii fabellas S. Carolo Borromejo nuncupavit, quibuſve Latinus Latinius Andream Maſium jam compellaverat) *cum aliquot Codd. ope, tum veteris cujuſdam ſcholiaſtae, qui apud canonicos S. Petri* (Romae nimirum) *in bibliotheca tamdiu latuit*, *ut*

Cepit lepor (*a*), venuſtas (*b*), elegantia (*c*);
Parata (*d*) jam voluptas (*e*) eſt vobis triplex.
Vobis princeps Terentii Andria dabitur (*f*)
Nunc

ut penè omnibus ſeculis ignoratus nunc videatur primum in lucem prodire. Faernii vero emendationes Petrus evulgavit Victorius, falſumque propterea eum Terentii Codd. fuiſſe nactum, ac luculentiſſimam editionem, ut ait Bentlejus *Praef. in Terent.* Victorio procurandam reliquiſſe morientem, quum a Borromejo ſuperſtite conſtet ejuſmodi fuiſſe munus eidem Victorio demandatum, *niſi forte* (quemadmodum animadvertit Lagormarſinius *Adnot. in epiſt. Pogian. T.* II *p.* CCCLXI.) *id dicere, idque unum intelligi Bentlejus voluit Victorium poſt Faernii mortem editionem Terentii illam curandam ſuſcepiſſe.*

(*a*) Pro pulchritudine interdum accipitur, & quum rem lepidam dicimus ad pulchrum quidpiam alludere videmur. Sic Terentianus Pamphilus *lepidum* vocavit, ſcilicet pulchritudinis plenum, *patrem*. Andr. Act. V. ſc. IV. v. XLVI.

(*b*) Feſtivitas, gaudium, ſeu mavis ſuavitas, quod Terentiana demonſtrant verba, quibus cum Parmenone, Bacchideque loquutus Pamphilus *quis*, dixerat, *me eſt fortunatior, venuſtatiſque adeo plenior*? Hecyr. Act. V. ſc. IV. v. VIII.

(*c*) Dum Gnatho Phaedriam apud Terentium alloquitur, Chaereamque *dixin'*, exclamat, *ego vobis in hoc*, milite nimirum Thraſone, *eſſe Atticam elegantiam*? Eunuch. Act. V. ſc. IX. v. LXIV.

(*d*) *Parata a nobis ſunt*. Terent. Adelph. Act. V. ſc. III. v. I. Vid. *Scribon. Flor. ex Terent.*

(*e*) Vid. *Giacomell. Prolog. Adelph. v.* I.

(*f*) Dare fabulam idem eſt ac rem facere, quae re-

Nunc primum item ut nova: deinde Bacchanalibus
Quae proxumis (*a*) eſt acta ludis (*b*) Phormio,

Ea

referri poſſit ad ludos ſcenicos. Nam veteres etiam comici pugnam in theatro dabant, quando praeliantium militum legiones volebant repraeſentare. Hinc Pythias in Eunucho Terentii *dabit hic*, inquit, *aliquam pugnam denuo*. Act. V. ſc. II. v. LX.

(*a*) Pro praeteritis. *Menſibus ſex, vel ſeptem prorſum non vidiſſe proxumis, niſi nunc*. Terent. Eunuch. Act. II. ſc. III. v. XLI.

(*b*) Ludi vox perſaepe a Terentio legitur uſurpata, & ipſemet ludum ſimul, & jocum, ut comici eſt, non raro jungit; ipſe itidem Giacomellius temperatam eſſe dicit lenitatem liberalibus jocis. *Prolog. Phorm. v.* XCVI. Hinc Parmeno Terentianus *ludum*, ait, *jocumque dices*. Eunuch. Act. II. ſc. III. v. VIII. Quod quidem paſſim penes ſcriptores. *Nae tibi, P. Corneli, quum ex alto Africam conſpexeris, ludus, & jocus fuiſſe Hiſpaniae tuae videbuntur*. Liv. Hiſt. Rom. L. XXVIII. n. XLII. *Luſus illa, jocoſque putas*. Martial. Epigr. L. IV. ep. XLIX. Praeter Andriam omnes penè Terentii fabulas, Eunuchum ſcilicet, Heautontimorumenon, Adelphos, Phormionem, Hecyramque bacchanalibus ludis Romae fuiſſe actas adpoſita iiſdem demonſtrat inſcriptio, ſive titulus, quo de cujuſlibet actione editum populo eſt. Eos vero ludos ad nos uſque traductos in honorem Bacchi victoriam ex India deportantis ſuperſtitioſa olim gentilitate Graeca probatos, & Romae etiam Plauti, Terentiique tempore peractos, a M. Valerio Flacco, & M. Portio Catone CSS. ſublatos aſſerit Livius *Hiſt. Rom. L. XXIX. n.* VI. eoſque ſaniori quoque ſenatui ob ſcelera inde perpetrata diſplicuiſſe conſtat.

S.

S. Auguſtin. De civit. Dei L. VI. *c.* IX. His autem temporibus, quibus minori, ut creditur, vacant periculo renati jam bacchanales ludi, ne Romanae juventutis mores forſitan vitiarentur, utque ipſa ſeverioribus ab ſtudiis feſſum recrearet animum, provida, ſapientique Giacomellii, aliorumque hominum conſenſione conſultum ſtudioſi ut juvenes tempus in Latinis agendis comoediis inſumentes ſolatium in virtute quaererent, & a pravis errandi occaſionibus abſtinerent. Haec dum ſcribo memoria non modo viget adhuc bacchanalium ludorum, qui pene in omnibus aguntur Italiae urbibus, & theatralibus jungi conſueverunt ſpectaculis, ſed Piſani maxime ludi ad XI. Kal. Majas hujus anni MDCCLXXVI. jam celebrati. Ludos perſimiles vidit olim Graecia, ſibique nepotes honori duxerunt atavos memorare ex olympicis, iſthmicis, pythiis, nemaeiis admodum triumphantes. At enim quid externa requirimus, quum domeſticis abundemus? Et quoniam Romani veteres minime Latinas improbarunt agendas fabulas quando megalenſes, apollinares, capitolini, aliique ludi celebrarentur, ſic Piſanis ludis Italicae etiamnum aguntur fabulae, ut cum jocari volens Piſana juventus pugnare diſcat, tum qui ad ludum ſpectandum è regionibus aliis certatim confluunt variis quoque recreentur ſpectaculis. Ceterum ſicuti conficta bella magis placent, haud ingrata viſu eſt publica illa bene valentium hominum concertatio vetuſtate percelebris, cujus per Etruriam, Italiamque fere totam fama percrebuit, quae cives Alpheo junctos ſanguine ad gloriam excitat ſingularem. Vid. *Borgh. Oplomach. Piſan.* Hanc identidem Piſani gerunt, ut inſtituto majorum terra, marique olim pugnantium proſperis elati rebus ad bellicoſa & ipſi excitentur facinora. Sed ea legenda, quae Odiſius congeſſit Licurius, ſeu Raynerius Bernardinius Faber *De Piſan. pont. lud. eleg.* Atque utinam Graecorum, Romanorumque memores triumphorum Atticae, Romanaeque diſciplinae fiant imitatores. Quare optandum veteribus ut inſtituti moribus ferociores hoſtes (ſi qui forte irrumpant) a propriis finibus arceant, barbaroſque

que

Digitized by Google

Ea referetur (*a*) iterum : Adelphos, quam
annus eſt (*b*)
Quum ſpectaviſtis (*c*), denuo ſpectabitis.
Qui largiter (*d*) benigni (*e*) rebus omnibus
Stu-

que praedones Piſana littora circumſpectantes coniieiant in fugam, atque avorum, atavorumque, qui ſingularis fuere in re militari praeſtantiae, retineant gloriam, & novo in dies rerum bene geſtarum adjecto cumulo augeant. Laudem vero iſthanc longè maximam eorum poſteri è virtute *acceptam alent*, *tuebiturque aeternitas*. Vid. *Giacomell. Prolog. Hecyr.* I. v. XLVI.

(*a*) Phormionis fabulae proprios praepoſuit verſiculos Giacomellius, quos infra apponere ſuo loco non negligam. *Hecyram* (ſic lego penes Terentium) *ad vos refero..... refero denuo*. Prolog. Hecyr. v. XXIX. XXXVIII. Retulit Hecyram Terentius in ſcenam ut denuo ſpectaretur; neque aliter intelligenda res eſt, quidquid viſum aliis fuerit. Videndus tamen Weſterhovius, qui ann. MDCCXXVI. & MDCCXXXII. Terentii editionem vulgavit Hagae Comitum, ad quam correctiorem reddendam XIII. adhibuit Codd. MSS.

(*b*) *Annus eſt*. Terent. Heautont. Act. II. ſc. II. v. XI.

(*c*) Ideſt *probaſtis*, *exploraviſtis*. Quae quidem ſumpta locutio a III. Viris monetalibus δοχιμαστὴς, ad quos nummi ſpectandi deferebantur. Spectare vero fabulam idem videtur ac ejuſdem repraeſentationi intereſſe. *Spectandum... det*. Plaut. Aſinar. Act. IV. ſc. I. v. XXXIII. Qui autem fabulam ſpectat in animum inducat ſuum ſcholae intereſſe, ubi ratio traditur vitae emendandae. Nam μεμνημένον, ut cum Plutarcho loquar ὠ; ὀυκ εἰς θέατρον ὀυδὲ ωσειον, ἀλλ᾽ εἰς σχολὴν και διδασκαλεῖον ἀφῖκται τῳ λόγῳ τὴν βίον ἐπανορθωσόμενος. *De audition. p.* XLII.

(*d*) *Argenti largiter*. Plaut. Rudent. Act. IV. ſc. IV. v. CXLIV.

(*e*)

Studio, conſilio (*a*), opera (*b*) nos juviſtis (*c*); item
Qui vos large expleamus (*d*) hilaritudiue (*e*),

Nil

(*e*) *Benigne praebeatur*. Terent. Hecyr. Act. V. ſc. II. v. II.

(*a*) Ipſe Terentius in Charini perſona teſtatur quod *facile omnes quum valemus recta conſilia aegrotis damus*. Andr. Act. II. ſc. I. v. XI.

(*b*) *Tum tu igitur paullulum da mihi operae*. Terent. Eunuch. Act. II. ſc. II. v. XLIX. Vid. *Giacomell. Prolog. Hecyr.* II. v. III.

(*c*) Terentianam Chremetis dicendi rationem legerat Giacomellius quando ſcripſit *conſilio, opera nos juviſtis*, eo quod ille dixerit Menedemo *conſilio, aut re juvero*. Heautont. Act. I. ſc. I. v. XXXIV. Quod quidem vel a Tullio video dictum quum *conſolando*, ait, *aut conſilio, aut re juvero*. Epiſt. famil. L. X. ep. VII. Vid. *Menag. Diſc. ſur l' Eautont. de Terenc.*

(*d*) Apud Terentium: *Expleam animum gaudio . . . animum ut expleret ſuum*. Andr. Act. I. ſc. II. v. XVII. Act. II. ſc. II. v. II. *Voluptatem expleat* (Minellius legit *explicet*) .... *exple animum*. Hecyr. Act. I. ſc. I. v. XII. Act. V. ſc. I. v. XXIX. Quod vero ad Terentianam attinet dicendi rationem, qua conſtat Davum ad Pamphili adſpectum ſe faſſum eſſe quod animum expleret gaudio, verba illa *expleam animum gaudio* ſacram ſapere phraſim adnotavit Weſterhovius *Comm. in Terent. Andr. p.* LXXXVI. quippe qui apud S. Ioannem *C.* XVI. *v.* VI. invenerat Chriſtum dixiſſe diſcipulis debere triſtitiam eorum converti in gaudium, & apud S. Paullum *Ad Timoth. Ep.* II. *c.* I. *v.* VI. legerat eum deſiderio teneri videndi Timotheum, ut gaudio impleretur.

(*e*) Vox penes Plautum familiaris. *Quid .... te obſecro*

Digitized by Google

Nil ad laborem reliqui nobis fecimus:
Namque optime (*a*) optimis optimam operam dare;
Id demum nobis deputamus (*b*) optimum(*c*).

ſecro, tam abhorret hilaritudo? Ciſtellar. Act. I. ſc. I. v. LXVI. *Onera te hilaritudine*. Mil. Act. III. ſc. I. v. LXXXIII. *Ut in ocellis hilaritudo eſt*! Rudent. Act. II. ſc. IV. v. VIII.

(*a*) Sumitur pro *opportune*. Thaidem inducit Terentius Chaereae dicentem: *Optime adeſt ipſe frater!* Eunuch. Act. V. ſc. II. v. LXVI. *Oh come a tempo* (en Forteguerrii verſionem Italicam) *giunge quì ſuo fratello*! At quum legiſſet Plautum Giacomellius habuit quem imitaretur. Apud eum namque Mercurius alloquitur Soſiam dicens: *Optumo optume optumam operam das*. Amphitr. Act. I. ſc. I. v. CXXII. Eam vero dicendi rationem penes poetas, comicos praeſertim, ac tragicos, ſaepius invenio, quam in iis ſcriptoribus, qui alienos graphice mores exponere, optimamque vivendi rationem repraeſentare quum voluiſſent ad ſolutam orationem decreverunt confugere. Quod idem dicito cum de Graecis, tum Latinis, quorum exemplaria nocturna, diurnaque manu verſantur humaniorum litterarum cultores.

(*b*) *Egomet mecum has rationes deputo*. Terent. Adelph. Act. II. ſc. I. v. LIV. Alii in MSS. Codd. legunt *puto*, eamque lectionem non rejecit Farnabius, qui idem ac *voluto*, *computo* eſſe putavit. *Not. in Adelph.* Conferri merentur Terentii editiones, quas cum Harejus Londini an. MDCCXXV. tum Bentlejus Cantabrigiae an. MDCCXXVI. correctiores aliis reddiderunt, atque adnotationibus illuſtratas. Neque aliter legitur in Terentii Cod. membranaceo Heilsbronnenſis bibliothecae. Inſuper *meam herus operam* (ſunt Parmenonis quaerelae) *deputat parvi pretii*. Hecyr. Act. V. ſc. III. v. I. In quinque Leidenſibus MSS. & in Bodlejano, Trajectino, Markiano, Lipſienſi, et Boendermakeriano nihil poſt vocem *deputare* immutandum cenſuit We-

ſterhovius *Comm. in. Terent. Hecyr. p.* CMLVIII. Non ita fortaſſe in Lugdunenſi, Veneto, Pulmanniano, Argentoratenſi, aliiſque bene multis.

(*c*) *Ego viderim .... optimum*. Terent. Phorm. Act. II. ſc. III. v. xx. Triplex, quadruplex, & quandoque multiplex ejuſdem vocis repetitio ab Latinis prologis aliena non eſt; quum eadem fere ratione, qua de juſto, & bono loquitur Plautus, loquatur de optimo Giacomellius. *Juſtam rem* (haec dictio Plautina) *& facilem eſſe oratum a vobis volo. Nam juſte ab juſtis juſtus ſum orator datus. Nam* (ſermonem proſequitur) *injuſta ab juſtis impetrare non decet; juſta autem ab injuſtis petere inſipientia eſt*. Prolog. Amphitr. v. xxxiii. Inſuper bonum, malumque inter ſe invicem conferens *mala malis*, inquit, *ut qui mali ſunt habeant mala, qui boni bona; bonos quod oderint mali ſunt mali; malos quod oderint boni bonos eſſe oportet*. Prolog. Pſeudol. v. iii. Hac ſanè ratione etſi Plautum utilia permulta laconico, ut inquiunt, congeſſiſſe ſtylo nemo non videt, idipſum tamen fatetur quiſpiam vel a Giacomellio fuiſſe praeſtitum, quippequi hos abſolvens verſiculos a me illuſtratos, quibus edictum populo de variis agendis Terentii fabulis, non pauca anguſtis contineri finibus voluit, quae ſolutam reſpuunt orationem.

FINIS VERSICVLORVM IN ANDRIAM ADELPHOS ET PHORMIONEM.

HAL-

HALLERIO SVO MATANIVS S.

BERNAM.

ANnus eſt vigeſimus, vir optime, ex quo mutua nos jungit benevolentia. Eam vero in dies foverunt epiſtolae complures, quibus factum aliqua ut invicem ſtudiis daretur noſtris acceſſio. Aſt miratus ſum vehementer jamdiu initum inter nos familiare commercium nunquam medicinae, & anatomiae, vix ac ne vix quidem naturalis hiſtoriae, fines praetergredi fuiſſe auſum. Attamen in eo recte video magnam tibi poſitam laudem ſi bene de reliquis ſcientiis, & artibus omnibus mereare. Anne ita comparata eſt ſtudioſorum natura omnium, diſſimilia melius ut aliquando diligant ſtudia, atque aliena dijudicent, quam quae animum quotidiano pabulo recreant? Nunc autem, pace tua dixerim, de medicina, de anatomia, de naturali hiſtoria ne verbum quidem. Quid? Modo de rebus comicis (obſtupeſces, fateor) amice tecum loqui animus eſt, atque his novus occaſionem praebuit prologus in Terentii Andriam, quem lepide olim, eleganterque conſcripſerat Giacomellius. Id facturus videor me non leviter commoveri qui ſuſpicer riſum abs te forſitan extorquere, perinde ac ſi me hominem ſtudiis deditum ſeverioribus è domeſtico, & umbratili vitae genere declinaſſe, & ad theatralia ſpectacula, a quibus ego calentibus quoque annis abhorrui, me denique ipſum contuliſſe judices. Cave ita ſentias. Vix tamen adducor ut credam. Joco haec

dixi tibi volens, lubenſque ridiculi cauſſa. Patiaris quaeſo tui auctoritate comicam hanc magis, ac magis me tueri ſcriptionem, quam certe non improbabis ſpero, quum ea è calamo exciderit viri praeſtantiſſimi, cujus ſapientiae celebritas ſtatim ac ex Italicis excelſit provinciis fieri nequit quin ad municipes advolans tuos Helvetiorum illico fines pervaſerit. Andriae argumentum complectitur ejuſmodi prologus aptioribus expreſſum formulis, ac me quidem judice nullatenus a Plautina, & Terentiana ſcribendi ratione diverſum. Stupore quodam, pene dixerim, afficior, quo & ipſe forſan afficeris, animo volutans eum Latinum perfecte non minus, quam vernaculum ſermonem calluiſſe, Atticaſque adeo enucleaſſe dictiones, ut eas ex uberrimo Graecorum fonte parce detortas minime fucatis artis praeſidiis ad veram traduxerit, ac genuinam Italicorum, Latinorumque ſimilitudinem. Ejus revera inſita erat animo non vulgaris quaedam alacritas, induſtria prorſus mira, linguarumque probe addiſcendarum ſumma celeritas. Nae tù vides nativam inter, & arceſſitas linguas haud exiguum eſſe diſcrimen, quum ab incunabulis ipſis haec, quam cum lacte pene ebibimus, familiaris reddatur, atque domeſtica; illae nonniſi moroſo faſtidio, atque improba exercitatione molliantur, & conſueſcant nobiſcum; haec itidem firma ſemper haereat, atque conſtans; illae memoria excidant quam ſaepiſſime, avolentque facile mobiles. Jamque ſatis verborum eſt. Et ne videar operam ludere jam res per ſe ipſa loquitur, quam quidem ſatius agnoſces, opinor, ſi tantillum de induſtria in manibus oblatum geſtaveris prologum, ac delibatum impenſius aliis exaequaveris: Aedes enim, ut fertur, paratae, expolitaeque exa-

examuſſim laudant fabrum. Ibi Athenienſem hominem prodire voluerat in ſcenam Terentius cognomento Chremetem, aetate gravem, & Phaniae cujuſdam fratrem, qui commigrare quum deberet in Aſiam, filiolam unicam, cui Paſibulae inditum nomen, fraternae fidei credidit. Fortuitam quidem hanc rem ad vivum, ut inquiunt, declaratam, expoſitamque videbis per Giacomellium. Magnos vero id temporis excitatos in Graecia bellorum tumultus effugere Phania dum vellet, in Aſiam, ipſo auctore Terentio, cum puellula navigat ad Chremetem. Atrox interea initio prologi commemoratur tempeſtas, qua de repente concitata, ſaevientibuſque ventis ita exaeſtuat mare, ut confracta navis in Andrum inſulam ejiciatur. Hoſpitio comiter ibidem receptus non multo poſt vita fungitur, relictamque ſibi Paſibulam hoſpes vocare Glycerium coepit immutato nomine, eaque pari ſtudio cum Chryſide filia ingenuis inſtituta moribus ipſe quoque abiit ad plures. Atque ut accuratiorem ſervet fabulae ordinem Giacomellius ad relictam convertit ſermonem Chryſidem. Ea enim deſerta, egenſque abrepta ſecum Glycerio Athenas navigat, atque inde labore victum quaeritans quum vitam aliquandiu lana, telaque toleraſſet, cum blanditiis victa complurium amantium, tum pollicitationibus (ut forma erat egregia, ſimulque premebatur inopia) quaeſtum corpore facere incepit: Adeo verum, uti vides, quod rara eſt concordia formae, atque pudicitiae. Scriptorem autem noſtrum heic eleganter perſtringere animadvertes quae fuſius ab Mureto, ſtrictimque ab Apollinari congeſta quum fuerint, Andriae vides argumentum efficere, ac vinculum fabulae. Nec temere factum, dictumve. Ad

eam

eim namque quum clanculum ventitaret Pamphilus quidam Simonis filius leniſſimis moribus, ac liberali praeditus ingenio adoleſcens Glycerii amore percul-ſus animum explet ſuum, vitiat virginem, gravidamque factam ſibimet uxorem fore dat fidem. Sed vide quaeſo, amice ſuaviſſime, quomodo ſe res habeant. Filiolam aliam, ut Giacomellium perſequar ſcriptitantem, Philumenam nomine, Chremes uxorem Pamphilo dare cupiens eo inconſulto Simonem patrem, ſenem nimirum, illum quidem agreſtem, ac truculentum alloquitur; atque ambo poſt tranſactum negotium nuptiarum diem conſtituunt. Age vero, mi Halleri, quam multa in hoc prologo dicta familiariter, quam multa perſpicue, venuſte, ſuaviter, quam multa prudenter è comicis ſumpta veteribus, quae ſi perpendens attentius ad Latinam conferas linguam, eorum facetiis, leporibus, amoenitatibus mirifice famulantur. Inopinatum tamen, ut rem proſequar, demortuae Chryſidis funus multum acerbitatis fingit Terentius ſubtriſti peperiſſe Glycerio, qui parum abfuit ut in ignem coniiceret ſeſe. Non enim, ut foemina erat, fuiſſe illi putandum erat ferreum pectus, nec dura praecordia, non ex ſilice natam Hyrcanas aluiſſe tigres. Quo factum ut Simo ob excitatos inde rumuſculos haud levi ſuſpicione perſtrictus, & de filii tandem amore certior redditus alienis eum amoribus jam implicitum ad nuptias celebrandas dum impelleret vehementius, illius angeretur animus tam paterno pudore, quam data fide. Interea eloquenter de more innuit Giacomellius Charinum amicum Pamphili ancipiti cogitatione diſtractum, ſed tamen Philumenae irretitum amore, ut diſturbet nuptias, eum enixe rogitare eam ne ducat. Quid, rogo, apte magis

Digitized by Google

gis, atque concinne poterat enunciari, quam quod fuerit peractum a Giacomellio? Adeo verum quod ea facilius, quae pluſcula ſunt lenitate ſermonis aſperſa, in animos illabuntur. Hoc denique velim animo reputes quod prologo ad exitum properante non minus quam caetera dictum oportet, advenientem ſcilicet Davum vafro alioquin ſervum ingenio fallere veteratoria induſtria unumquemque, aſſentari, mentiri, jactare amicitias, & clientelas, incredibilia polliceri, alere credulitatem. Hinc, ut ſunt humana, ex falſis veras penè nuptias per fallaciam factitat imprudens, eodemque tempore Glycerium parit, turbae concitantur maximae, neque unus deſinit maledictis alium diſcerpere. Vin' ridere? Chremes denique obviam procedens filiae eam invenit, omnes paullatim in aliorum ſenſu delinitis viciſſim animis conquieſcunt; uno verbo res procedit ex ſententia, promiſſa exſolvunt; Charino nubit Philumena, Glycerium Pamphilo, hiſque concordi animo geſtis hilarem illam traducunt diem. Sic Terentium vides fabulam claudere, prologum abſolvere Giacomellium. Sed & ego, amice ſuaviſſime, hanc ſcriptitando epiſtolam defeſſus ſum, ac ſuſpicione ducor te quum legeris hoc Andriae argumentum a me tam verboſe deſcriptum feſſum fore. De animadverſionibus meis prologo adjectis quod cogites nihil eſt, propterea quod feſtinanter minus, opinor, maturari per me debuerant. Quod ſi minus placuerint, eas me neque obſtupeſcente, neque, ut ſolent alii, aegre ferente repudiabis. Attamen praeterquamquod plus otii non habui, non is ego ſum, qui in tantam doctiorum interpretum lucem prodire quum audeam, iis elate nimis exaequari velim. Abſit. Lubens

bens, volenſque in opellis meis, quantulaecumque ſint, ſponte me abdidi, ingenui, ſi non ſapientis, hominis famâ contentus. Seauſſurium, virum cumprimis doctum, ut valdè ames te rogo, quippequi cum ſuaviſſima conjuge magni Bonneti filia ſuperioribus annis pervagatus Italiam de te multa retulit, quae ſingularem attuliſſe mihi fateor voluptatem. Ad VII. Kal. Majas perlatum eſt ad me, quod mihi jucundiſſimum repente fuit, litteratum hominem, neſcio quem, praeteriiſſe Piſas, ut inde Inſubriam pertranſiens Helvetiam appelleret. Illico quaeſitum ivi, plateas perreptavi, diverſoria, gymnaſia, bibliothecas, ut haberem cui alias ad te ſcriptas darem epiſtolas; ſum defeſſus quaeritando, nuſquam inveni; res tamen, quae temere obtigit, iniquo licet animo ferenda fuit, quod graviter, ac permoleſte acceperim abiiſſe. Ad ſocios meos cum Gottingenſis, tum Bernenſis academiae mittam aliquid quando plus otii habuero. A me omnia in te ſtudia, officiaque, uti ſoles, expecta. Non fallam opinionem tuam. Tu velim tibi ita perſuadeas nil eſſe minimum, quod ad te quum pertineat mihi non gratius ſit quam meae res omnes. Vale Helvetiorum decus, parum dixi, decus Europae, decus aetatis noſtrae, & perge ſcriptione ipſe tua inſtitutum probare, meiſque favere conatibus, ſi non inutiles judicaveris.

XIII. KAL. IVN. MDCCLXXVI. PISIS.

PRO-

PROLOGVS ANDRIAE
DICTVS
QVVM FABVLA DARETVR POPVLO.

NE cui ſit aegre (*a*) veſtrum paullulum hoc morae
Neu taedium afferat, tantiſper (*b*) dum ſuo
Se quiſque noſtrum ornatu (*c*) exornat, & parat (*d*),

Et

BIBLIOTECA NAZIONALE DI TORINO

(*a*) Quaſi dicat *ne cui veſtrum grave, aut moleſtum ſit* a Terentianis phraſibus non recedens. Demea enim ſenex Micionem ſenem alloquitur, & in haec verba prorumpit: *Aegre eſt*. Adelph. Act. I. ſc. II. v. LVI. ſcilicet moleſtum eſt mihi eum (de Aeſchino loquitur juvene) luxu perditum vivere. Sed Antipho adoleſcens alteri adoleſcenti, cui Phaedriae nomen fuit, *fuiſſet*, ait, *tum mihi illos aegre aliquot dies*. Phorm. Act. I. ſc. III. v. VII. *Alquanti giorni* (ſic Italice reddidit Pagninius Piſtorienſis) *avrei patito*. Sed Italicas alias expedit inter ſeſe conferre verſiones, eas maxime, quae per Chriſtophorum Roſarium, Joannemque Juſtinianium, duaſque foeminas, Fiammettam nempe Malaſpinam, & Ludovicam Bergalliam, quarum altera ementitum ſibi ſumpſit Irmindae Parthenidis nomen, peractae ſunt.

(*b*) *Tantiſper cavet*. Terent. Adelph. Act. I. ſc. I. v. XLV. *Tantiſper hic ego ad januam conceſſero*. Plaut. Aulul. Act. IV. ſc. V. v. VI.

(*c*) Pro *apparatu* juxta Terentianam dicendi formu-

D

lam

Et nomen (*a*) fabulae, quam acturi (*b*) nunc ſumus,

Et

lam, cui archaiſmi nomen indiderunt rhetores. Ipſe enim Terentius Davi perſonam referens *video ..... in aedibus*, inquit, *nil ornati*, ſcilicet *ornatus*. Andr. Act. II. ſc. II. v. XXVII. Vid. *Lymberger. Verſ. German. Andr.* Gnatho autem exclamat coram Parmenone: *Quid iſtuc, inquam, ornati eſt*? Eunuch. Act. II. ſc. II. v. VI.

(*d*) *Paraſiti te*. Terent. Eunuch. Act. II. ſc. II. v. IX. *Ita paret ſeſe*. Hecyr. Act. I. ſc. I. v. XI.

(*a*) Haec ſagaciſſimus prologi auctor quum proferret Latinam comicorum reſpexiſſe videtur ſcribendi rationem. Nam iiſdem fere verbis, etſi negandi animo, Plautus *non argumentum*, dixit, *neque hujus nomen fabulae nunc proloquar ego*. Prolog. Pſeudol. v. XVII.

(*b*) Fabulam agere idem eſt ac eamdem recitare, ac repraeſentare, neque ſemper ridiculum quidpiam ſignificat, etſi contra ſentit Lucianus *ἑτέρου δράματος ἥττετο &c.* Nigr. c. XXX. Hinc inſcriptiones, quae ſingulis praefixae ſunt argumentis comoediarum Terentii, eo factae videntur conſilio, ut cum certum exſtaret quaſi earum teſtimonium, tum moneretur juventus de conſuetudine, quae viguit apud Romanos in ludis megalenſibus maxime, funebribus, Romaniſque repraeſentandis. *Servitus obnoxia* (en quomodo fabula orta eſt) *quia quae volebat non audebat dicere, affectus proprios in fabellas tranſtulit*. Phaedr. Fabul. Prolog. L. III. v. XXXIV. Ad inſcriptionem vero quod attinet, ſeu titulum fabulae, monendum cenſeo veteres titulos a me fuiſſe praemiſſos Giacomellianis verſiculis, atque prologis ab iis non longe diverſos, qui Terentianas praecedunt fabulas a Weſterhovio, Minellio, Farnabio, aliiſque illuſtratas. Sed tamen diverſum quidpiam inijciendum putavi, quod tamen commentus non ſum de mea ſententia. Etſi enim parum in Andriae, & Heauton-

Et argumentum (*a*) proloquar (*b*). Elegantias (*c*)

Qui-

tontimorumeni titulis immutandum cenſui, non diffiteor tamen nonnihil in reliquis adinveniri a vetuſtiori Codd. MSS. lectione diſſentiens. Atque ut exempla aliquot conferam in compendium, atque nonnulla è variantibus proferam decerpta lectionibus, jam conſtat legi conſueviſſe in Eunuchi titulo *modos fecit*; MS. vero Pariſienſe habet *modulavit*, atque inſuper *tibiis duabus dextris*, licet MS. Venetum habeat *tibiis duabus*, *dextra*, *&* *ſiniſtra*. In Adelphis autem haec intercedit varietas: *Funebribus* in MS. Romano *funeralibus*, additque MS. Pariſienſe *quos fecere Q. Fabius Maximus &c.* Pro *Sarranis* legitur in MSS. Veneto, & Pariſienſi *Lidis*, ſive *Lydiis*, & *Sarranis*. In Phormione pro *Romanis* alii legunt *conſularibus*. In Hecyra tandem pro *megalenſibus* legendum alii putant *Romanis*, *conſualibus*, & *cerealibus*; pro *data* MS. Romanum ſupplet *relata eſt iterum*, atque in MSS. Veneto, & Pariſienſi additur *data ludis funebribus*. Quod quidem exemplum eſto.

(*a*) Argumentum proloqui idem eſt ac praefari, ſive in prologo declarare quid repraeſentetur in fabula. Prologus Grecis *πρόλογος* antecedens eſt elocutio fabulae, diciturque *συστατικος* ſi poeta, vel fabula commendetur, *αναφορικος*, quo aut adverſariis maledicta, aut gratiae populo referuntur, *ὑποθετικὸς* fabulae argumentum exponens, *μικτὸς* cuncta haec in ſe continens. Factum id omne in Terentianis ut quum maxime prologis animadvertitur, atque in iis etiam, quos illuſtrare conamur elucubratos a Giacomellio. Neque ſemper opus fuit antiquis comicis eſſe ſpectatores uno tantum contentos prologo, quum duplicem aliquando ab Terentio ipſo, ut in Hecyra, legamus confectum, atque inceptis jam fabularnm actionibus immiſcere alterum neceſſe fuerit. Quod quidem

 prae-

Qui veterum amant, & deliciis hujuſmodi Delectantur, diu eſt cum acriter, & propemodum

Quo-

praeſtitum a Plauto novimus, eo quod miles dum ageretur glorioſus altero ineunte fabulae actu novum proloqui debere argumentum exiſtimaverit, ut quo magis rerum augebatur novitas, aures eo attentiores praeberentur ab ſpectatoribus. Invaluit tamen mos vario ut carminum metro Latini loquerentur actores, maximeque jambicis, uti rhetores ajunt, & trochaicis verſibus, etſi de Terentio, qui aſſerente Rufino grammatico *prologos trimetro didi i: componere verſu*, contra ſentit Tanaquillius Faber. *Obſ. miſc. ad metr. Terent.* Terentiana eſt vox *non qui argumentum narret ..... Non ita diſſimili ſunt argumento*. Prolog. Andr. v. vi. xi. *Ex argumento facta eſt ſimplici*. Prolog. Heautont. v. vi. *Terenzio l' ha fatta* (ita Fabrinius) *d' una materia ſemplice*. Inſuper ne *exſpectetis argumentum fabulae*. Prolog. Adelph. v. xxii. *Sed de argumento ne exſpectetis fabulae*. Plaut. Prolog. Trinum. v. xvi.

(*b*) Plautina dicendi ratio: *Nunc quam rem oratum huc veni primum proloquar*. Prolog. Amphitr. v. l. *Non argumentum, neque hujus nomen fabulae nunc proloquar ego*. Prolog. Pſeudol. v. xvii. Non hic ſolum hanc imitatus eſt rationem dicendi Giacómellius noſter, ſed etiam in Phormionis prologo v. xcvi. dicens: *Neque exſpectetis argumentum ut proloquar*. Ac Phaedrus ipſemet *quam dulcis*, inquit, *ſit libertas breviter proloquar*. Fabul. L. iiI. fab. vii. v. i. Hoc vero Andriae argumentum per Sulpicium Apollinarem carminibus olim elucubratum elegantioribus, & ab Mureto ſoluta expoſitum oratione ipſe quoque in gratiam juvenum concinnavit, deditque elegantia ſuaviori, ac venuſtiori lepore exornatum.

(*c*) *Dixin' .... eſſe Atticam elegantiam?* Terent. Eu-

Digitized by Google

Quotidiano pene nos convicio (*a*)
Efflagitant Terentii Andriam: libet,
Quos maxumi (*b*) nos ſemper fecimus viris,
Et optime de nobis meriti qui ſient (*c*),
Morem gerere (*d*), & eorum ſtudiis obſe-
qui (*e*).

Quam-

Eunuch. Act. V. ſc. IX. v. LXIV. Vid. *Giacomell. Verſic. in Andr. v.* II. *in Hecyr. v.* VIII. Diu diſceptatum eſt Terentius ne, an Plautus fuerit aliis elegantior Latinis comicis, atque utrum alter ſit alteri anteferendus. *Morhof. Polybiſt. L.* II. *c.* IV. Illud certum quod Terentii fabulis *feſtivitas ineſt, leporque*, ut cum Giacomellio noſtro loquar, *& temperata lenitas facetiis, & liberalibus jocis*. Prolog. Phorm. v. XCIII.

(*a*) Vociferatione: *Ante aedeis non feciſſe* (ita Aeſchinus Terentianus) *erit melius heic convicium*. Adelph. Act. II. ſc. I. v. XXVI.

(*b*) Familiaris apud Terentium dictionis, ſcriptioniſque ratio. *Pecuniam in loco negligere maxumum* (pro *maximum*) *interdum eſt lucrum*. Adelph. Act. II. ſc. II. v. VIII. *Quaeſtum in animum induxi maxumum quam maxume ſervire voſtris commodis*. Prolog. Hecyr. v. L. *In maxumam malam crucem*. Plaut. Prolog. Menaechm. v. LXVI. Sic Giacomellius bis in hoc, & ter in Phormionis prologo.

(*c*) Pro *ſint*. Ita *res inutiles .... ſient*. Terent. Andr. Act. I. ſc. V. v. LIII. *Sin aliter ſient animati, neque dent quae petat*. Plaut. Amphitr. Act. I. ſc. I. v. LIV.

(*d*) Charinus penes Terentium ita loquitur: *Animo morem geſſero* Andr. Act. IV. ſc. I. v. XXII. *Indulge my own reſentment*. Ita Cookius. Phaedria vero apud eumdem ait: *Mos gerundus eſt Thaidi*. Eunuch. Act. I. ſc. II. v. CVIII. *Thais* (idem) *muſt be obeyd*. Sed Anglica

ca

Quamquam etiam iis eo nos plurimum puto
Debere (*a*), quod eam a nobis Fabulam expetunt (*b*),
Quam agere nos multo malumus, quam illi inſpicere.
Ad argumentum nunc quaeſo animum advortite (*c*).
Duo fuere quondam Fratres Attici,
Quorum alter in Aſiam profecturus Chremes (*d*)

Re-

ca relicta verſione eam perlegere juvat Italicam, quam Joannes a Burgofranco oratione perfecit ſoluta. Vid. *Quadr. Stor. e ragion. d' ogn. poeſ.* T. III. p. II. p. CX.

(*e*) Iiſdem maxime verbis Simo ſenex Soſiam interpellat libertum dicens: *Eorum* (intelligitur *arbitror eſſe utile*) *obſequi ſtudiis*. Terent. Andr. Act. I. ſc. I. v. XXXVII.

(*a*) *Pro ſervitio debeo*. Terent. Andr. Act. IV. ſc. I. v. LV.

(*b*) *Si te ſibi quiſque expetit*. Terent. Heautont. Act. II. ſc. IV. v. III.

(*c*) *Quaeſo* (haec legerat Giacomellius) *animum advortite* (pro *advertite*, aut *animadvertite*). Terent. Prolog. Andr. v. VIII. *Advorti hercle animum*. Eunuch. Act. III. ſc. I. v. VII. *Animum non advorti primum*. Heautont. Act. IV. ſc. I. v. XLIII. *Id vos velle animum advorteram*. Phorm. Act. V. ſc. VIII. v. XXXVI. *Nunc argumentum accipite, atque animum advortite*. Plaut. Prolog. Menaechm. v. V. *Si animum advortitis*. Prolog. Trinum. v. VII. Leges XII. tabularum, quas olim Romani

a

Reliquit apud fratrem filiolam (*a*) parvolam (*b*).
Bellum ſubinde tota exarſit Graecia,
Quod

a Graecis receptas patriis aptare moribus voluerunt, & quas an. V. C. CCCII. poſt legatorum reditum a Xviris illuſtratas, & ab Hermodoro Epheſio Latine redditas expoſuit prae caeteris Gothofredius, ejuſmodi locutione, aliaque non abſimili refertae ſunt. His, praeter Plautum, qui Pacuvii, Actiique aetate claruit, poſtremis nempe annis belli Punici ſecundi, Terentius ipſe Terentii Lucani libertus uſus eſt, quem vergente ad exitum bello Punico ſecundo, ac tertio ineunte floruiſſe, & circa an. V. C. DCXV. è vita migraſſe Aelius teſtatur Donatus. *Vit. Terent.* Earum aliquas, quae in hoc Andriae prologo, & in inſequentibus Adelphorum, Phormionis, Hecyraeque leguntur, ut *fient*, *maxumi*, *parvolam*, *faciundis*, *experiundo*, *adipiſcier*, *dicier*, *vortat*, variaſque hujus generis, quae popularibus, ut arbitror, dicendi rationibus accommodatae priſcis temporibus videbantur, ſapienti permotus conſilio ipſe aliquando adhibuit Giacomellius. Sed ex collectis inſcriptionum theſauris a Gruterio, Reineſio, Fabrettio, Sponio, Muratorio, Gallettio, aliiſque bene multis rei antiquariae ſcriptoribus idipſum facile colluſtrabitur.

(*d*) Senex vel a χρέμπτεσθαι, ut vult Eraſmus, quod eſt *enixe expuere*, veluti ſenes facere ſaepe ſolent, vel a χρεμετίζω, ſcilicet *hinnio*, quod proprium eſt vocis equorum, quibus alendis delectabantur valdè Athenienſes. Hinc in iracundiam proclivis, *iratuſque Chremes tumido delitigat ore*, ut inquit Horatius. *De art. poetic. v.* XCIV.

(*a*) Dicebatur a Graecis θυγάτριον.

(*b*) *Parvola hinc eſt abrepta*. Terent. Eunuch. Act. I. ſc. II. v. LXXIV.

(*a*)

Quod Phania (*a*) fugiens (id alteri fuit
Nomen fratri) arrepta ſecum puellula ,
Dum in Aſiam navigat ad Chremetem , atrociter
Neptunus increpuit hybernum (*b*) : ad inſulam

An-

(*a*) Dictus fortaſſe , ni fallor , a tractu Phanaeo , qui celebris eſt in inſula Chia , & cujus meminit Virgilius. *Georgic. L. II. v.* XCVIII. Ad Terentium vero quod attinet *ejus* , inquit , *nomen ? ... Phania .... verum hercle opinor fuiſſe Phaniam* . Andr. Act. V. ſc. I. v. v. XXVI.

(*b*) Neptunus ſcilicet Saturni , & Opis filius , qui fingebatur a poetis mari praeeſſe , atrocem excitavit procellam . *O caelum! o terra ! o maria Neptuni !* Terent. Adelph. Act. V. ſc. III. v. III. Fabuloſae eſt etiam commentum poeſeos Arcturum fuiſſe Icarium Erigones patrem , qui juxta mythologos a paſtoribus quibuſdam , quod multo vino eos inebriaſſet , fuſtibus interemptus in caelum tranſlatus fuit . *Hygin. Fabul. fab.* CXXX. Arcturus autem ipſe Plautini Rudentis incipiens fabulam quum eſſe dicatur *qui gentes omnes* (en Plauti verba) *mariaque , & terras movet .... civis civitate caelitum .... ſplendens ſtella , candida , ſignum , quod ſemper tempore exoritur ſuo* , ſubdit *increpui hybernum* , commota nimirum per me tempeſtas eſt . *Je ſuis un* (ſic Dacieria Gallice) *qui fait trembler la terre , & la mer .... J' habite dans le palais des immortels .... Je ſuis une conſtellation claire , & brillante ; je ne manque jamais de paroitre en certaines ſaiſons de l' annèe .... J' ai excitè les vents* . Plautinam dicendi formulam dictioni ſuae graphice , concinneque aptavit Giacomellius , quum legiſſet *increpui hybernum* . Plaut. Prolog. Rudent. v. LXIX. *Et fluctus movi maritumos* , ideſt *& j' ai ſoulevé les flots* . (*a*)

Digitized by Google

Andrum (*a*) confracta navi Phania ejicitur.
Ab Andrio (*b*) ibi receptus (*c*) quodam comiter (*d*)
Vt pauperes valuere hominis opes, miſer
Extremum obiit (*e*) haud multo poſt diem ſuum.
Relictam apud ſe parvolam Hoſpes (*f*) Andrius,
Cui Paſibulae (*g*) inditum (*h*) erat nomen, Glycerium (*i*)

Vo-

(*a*) Inſula maris Egaei, quae eſt una cycladum; non tamen confundenda cum Phrygiae oppido ejuſdem nominis, de quo loquitur Plinius. *Hiſt. nat. L. XXXVI. c.* x.

(*b*) Andrius, quaſi virilis ἀνδρεῖος, forſitan a voce ἀνὴρ. Hinc Ariſtophanes δίκαιος ὢν ἀνὴρ κατ' ἄνδρα. *Plut. Act. II. ſc.* iiI. *v.* xv.

(*c*) *Meum recepta filium*. Terent. Hecyr. Act. V. ſc. 1. v. xvii.

(*d*) Fideliter, adnotante Minellio. *Not. in Terent. Phorm.* amanter, non gravate.

(*e*) Reſumens obiter Andriae argumentum Terentius *fuit olim*, ut ille ait, *quidam ſenex mercator; navem is fregit apud Andrum inſulam. Is obiit mortem*. Andr. Act. I. ſc. iiI v. xvi.

(*f*) *Amicus* ſcilicet, veluti Terentii verba videntur innuere. *Hoſpes nemo eſt vobis?* Adelph. Act. IV. ſc. I. v. xiiI. *Hoſpitem Myconium*. Hecyr. Act. iiI. ſc. iv. v. xviiI.

(*g*) Quae cuncta explorat, a πᾶσ, & βόλος, & quae eſt veluti rerum omnium piſcatrix.

(*h*) In priori etiam Hecyrae prologo dictum a Giaco-

Vocare coepit immutato nomine :
Eamque poſtquam filia cum Chryſide (*a*)
Plures annos pari cum ſtudio item ut ſuam
Eduxiſſet (*b*) , priores quo abierunt (*c*) abiit .
Chryſis deſerta egenſque quo ſe verteret
Quae non haberet , una cum adoleſcentula
Athe-

comellio legimus quod *ei Hecyrae nomen indidit Terentius* . v. LIV.

(*i*) Iſthaec Chremetis filia ita appellatur a dulcedine *ἀπὸ τῆς γλυκέρας* . Dulce ejus nomen tanti faciebant veteres , ipſo ut nomine condecoratam foeminam laudibus ad caelum extulerint . Quare ut verba S. Joannis Chryſoſtomi *βασιλικωτέρα ἀγέλη De ſacerdot. L.* III. *c.* XVII quibus virginitatis extulit decus , explicaret Bengelius , textum retulit Alciphronis ex epiſtola Glyceriae ad Menandrum , qui quum , ne ab ea ſejungeretur , rogatus a Ptolemaeo Aegypti rege ut ad comici poetae munus obeundum accederet , fabulaſque in aula compingeret , ejuſmodi recuſare honorem decreverit , hoc a foemina dictum extorſit : *Κἂν οἱ βασιλεῖς ἐπιστείλωσι πάντες , ἐγὼ πάντων εἰμι παρὰ σοὶ βασιλικωτέρα* .

(*a*) *Χρυσίδες aureae crepidae* . Non levis eſt conjectura eamdem hanc eſſe ac Aſtynomen Sminthii filiam , quae Chryſis , aut Chryſidis nomine appellata comicae fabulae compingendae praebuit occaſionem , quaeque *hortante egregia forma* , ut Giacomellium ſequar infra loquentem , *cogente inopia ... corpore quaeſtum facere incipit* .

(*b*) Giacomellius educationem intelligit , quemadmodum & alibi . *Prolog. Adelph. v.* LXX.

(*c*) *Hinc nunc abeam* . Terent. Eunuch. Act. IV. ſc. IV. v. LI.

(*a*)

Digitized by Google

Athenas commigravit (*a*) : primo duriter (*b*)
Tela, & lana (*c*) tolerare (*d*) famem (*e*) :
denique
Hortante egregia forma (*f*), cogente inopia (*g*)

Tum

(*a*) *Ex Andro commigravit*. Terent. Andr. Act. I. ſc. 1. v. XLIII. *Hic commigrarunt*. Adelph. Act. IV. ſc. v. v. XV.

(*b*) Laborioſe, aſpere, acerbe. *Vitam parce, ac duriter agebat*. Terent. Andr. Act. I. ſc. 1. v. XLVII. *Agere vitam ſemper parce, ac duriter ſe habere ..... factum a vobis duriter*. Adelph. Act. I. ſc. 1. v. XX. Act. IV. ſc. v. v. XXVIII. Eadem quoque utitur voce Lucretius, penes quem lego *membra moventes duriter*. De rer. nat. L. V. v. MCD.

(*c*) De re eadem loquutus Terentius *lana*, ſubjungit, *ac tela victum quaeritans*. Andr. Act. I. ſc. 1. v. XLVIII. *Facere lanam coegit*. Lucret. De rer. nat. L. V. v. MCCCLIII. Foeminis Graecis nuptis, innuptiſque id aeque ſtudium erat, quod Helenae exemplo praecipue comprobatur. Penelopis inter matronas, Didonis, & Lucretiae illuſtriora habentur exempla. Ipſe veterem legi inſcriptionem matronae, quae

DOMVM . SERVAVIT . LANAM . FECIT .

(*d*) *Pro re tolerabas tua*. Terent. Adelph. Act. V. ſc. III. v. XXIII.

(*e*) Scilicet fame fatigari. Hinc dicitur aliquis *fame fatigatus*. Corn. Nep. Vit. Eum. n. XII.

(*f*) *Egregia*, Terentius inquit, *forma, atque aetate*

Tum blanditiis, & pollicitationibus (*a*) Complurium Amantium devicta, corpore Quaeſtum facere (*b*) incipit. Eo ductus Pamphilus (*c*).

In-

te integra. Andr. Act. I. ſc. I. v. XLV. *Hortante egregia forma*, ait Giacomellius, *corpore quaeſtum facere incipit*. Etenim *rara eſt adeo*, ut Juvenalis verba recenſeam, *concordia formae, atque pudicitiae*. Satyr. ſat. X. v. CCLXXVII.

(*g*) *Inopia* (en Terentiana verba) *& cognatorum negligentia coacta*. Andr. Act. I. ſc. I. v. XLIV.

(*a*) *Amans acceſſit* (ita Simo) *pretium pollicens*, pariterque *ſollicitando* (ſunt ejuſdem verba) *& pollicitando... animos*. Terent. Andr. Act. I. ſc. I. v. XLIX. Act. V. ſc. IV. v. IX. Pollicitationis vocem pro re promiſſa uſurpat etiam vulgatus ſacri Cod. textus. *Numer. C. XXX. v.* IX. Hinc S. Paullus promiſſum adoptionis ſpiritum commemorans vocem ἐπαγγελίαν ſcilicet *pollicitationem* adhibet *Epiſt. ad Galat. C.* III. *v.*XIV. veluti alibi quoque obſervare lubet. *Epiſt. ad Hebr. C. IV. v.* I. *C. VI. v.* XVII. At quae de ſacris, profaniſque verbis idem aliquando ſignificantibus ſunt prolata non ita intellecta volo, ut vel ad res a veritate prorſus alienas per ſummam imprudentiam libere traducantur, quemadmodum a nonnullis praeſtitum fuiſſe dolendum eſt. Sic divina Chriſti Domini verba ad S. Paullum *σκληρόν σοι πρὸς κέντρα λακτίζειν grave* (vulgatus textus legit *durum*) *tibi erit adverſus ſtimulum calcitrare* Act. Apoſt. C. IX. v. v. ridicule, inepteque Reuclinius, Boccalius, aliique è profanis eſſe petita duxerunt Terentii verbis *namque inſcitia eſt advorſum ſtimulum calces*. Phorm. Act. I. ſc. II. v. XXVIII. De qua re Mayerius conſulendus, impropriam dum proponit quaeſtionem ſapiente homine indignam, utrum nempè Chriſtus ipſe (ſaltem de S. Luca dixiſſet, qui acta condidit apoſtolica) Platonem legerit,

vel

vel Terentium. Vid. *Origen. contr. Celſ. Nieremberg. De orig. ſacr. ſcript. L. XII. c.* xiv.

(*b*) Terentium de more imitatus eſt Giacomellius. Ait enim Simo: *Primum haec*, nempè Chryſis, *pudice vitam parce, ac duriter agebat, lana, ac tela victum quaeritans. Sed poſtquam amans*, ideſt Pamphilus, *acceſſit... quaeſtum occipit*. Andr. Act. I. ſc. I. v. XLIX. *Olim iſti fuit generi* (ſic ipſe Terentius) *quondam quaeſtus apud ſeclum prius .... is quaeſtus nunc eſt multo uberrimus*. Eunuch. Act. II. ſc. II. v. xv. XXII. Bacchis vero in Terentianis fabulis ait: *Ne nomen mihi quaeſti* (pro *quaeſtus*) *obſit*, & infra *quaeſti gratia*, pariterque *ne nomen mihi quaeſti obſiet*, & tandem *nunquam animum quaeſti gratia ad malas adducam partes*. Hecyr. Act. IV. ſc. III. v. IX. & XXXVIII. Act. V. ſc. I. v. VIII. & ſc. III. v. XXXVIII. Vid. *Swaerdekroon. Verſ. Belgic. Terent.* Inſuper *quum aliquandiu vitam* (ita Muretus) *lana, telaque toleraſſet*, ideſt Chryſis, *ad poſtremum adoleſcentum blanditiis, & pollicitationibus victa* (iiſdem verbis utitur Giacomellius) *quaeſtum corpore facere incepit*. Argum. Andr. Eadem planè ſignificatione vocem eamdem uſurpaſſe Menandrum ex Plutarcho, & Stobaeo tradidit Schottius, ea dum explanaſſet, quae quum a Menandro fuerint Graece conſcripta imitatus eſt Latine Terentius. Sed Plautus ipſe *occepit*, inquit, *quaeſtum hunc*. Captiv. Act. I. ſc. I. v. XXX. *Quaeſtum indignum facit corpore*. Poenul. Act. II. ſc. III. v. XXIV. Aliae autem quaeſtus improbi recenſentur a ſcriptoribus ſpecies, quae ad ſtultitiam, impudentiamque hominum referuntur, quum certum quod *ſtultitia*, monente Phaedro, *quaeſtus impudentiae eſt*. Fabul. L. I. fab. XIV. v. XVIII. Sed, ut ait P. Syrus, *ex hominum quaeſtu* (ex MSS. Codd. Godofredi, & Stephani) *facta fortuna eſt dea*, ſeu (ut in Cod. legitur Friſingenſi, qui parum abeſt a MS. Cod Scaligeri) *facta eſt fortuna dea*. Mim. v. CCXXI. Quaeſtus πόρος, πρόσοδος, & quaeſtuaria πρακτικὴ πόρνη, uti legendum putat Lindenbruchius *Comm. in Terent. Andr.* Hinc *lenas*, aſſerente Vlpiano, *eas dicimus, quae mulieres quae-*

Ingenio (*a*) praeditus bono adoleſcens ab iis,
Qui amabant Chryſidem, ſodalibus ſuis (*b*),
Simul ut Glycerium aſpexit, amore captus
eſt.
Ac ventitando, ut fit, cum vulnus gliſceret
Amoris in dies, poſtremo virginem
Decerpto vitae flore è ſe gravidam facit,
Eique fidem dat uxorem ſibi fore (*c*).
Interea adoleſcentis (*d*) bona fama (*e*)
Chremes.

Com-

quaeſtuarias proſtituunt. Leg. XLIII. §. VII. Dig. de rit. nupt. Apud S. Irenaeum lego hominem extitiſſe, qui *Selenen quamdam*, ut illius utar verbis, *quam ipſe a Tyro civitate Phoenices quaeſtuariam quum redemiſſet, ſecum circumducebat*. Adverſ. haereſ. C. v. Ignominiae vero cauſſa vocabatur quis olim *quaeſtuariae filius*, ut affirmat Tertullianus. De ſpectac. Quia vero quaeſtus ejuſmodi indigna veluti res, prout revera eſt, habebatur, nil mirum ſi quaelibet quaeſtum corporis faciens a theatro penitus arceretur maxime ab Athenienſibus.

(*c*) Simonis filius adoleſcens ἢ πασὶ φιλὸς τίς ὢν, vel ἢ πάντας φιλῶν, ideſt *omnibus charus, amabilis*, aut *omnium amicus, adverſus nemini*.

(*a*) *Liberali eſſe ingenio decet.... par ingenium nactus eſt*. Terent. Hecyr. Act. I. ſc. II. v. LXXXIX. XCV.

(*b*) Phaedrio nempè, Clinio, Nicerato, qui *tres*, ut cum Terentio ipſo loquar, *tum ſimul amabant Chryſidem*. Andr. Act. I. ſc. I. v. LX. Pamphilus enim *cum illis* (en Terentiana verba, quae adhibuit Giacomellius) *qui amabant Chryſidem, una aderat frequens*. Andr. Act. I. ſc. I. v. LXXX.

(*c*)

Compulſus ad Simonem (*a*) ultro venit patrem ,
Philumenam (*b*) alteram ſuſceptam filiam
Vxorem ut Pamphilo daret (*c*), inſcio eo Senes

Ne-

(*c*) *Haec* , ideſt Glycerium , *ſe è Pamphilo gravidam dixit eſſe* . Terent. Andr. Act. III. ſc. II. v. XXXII. Cajum vero Sulpicium Apollinarem exemplum eſſe nunc video Giacomellii . *Glycerium* etenim, ut ille ait , *vitiat Pamphilus* , *gravidaque facta dat fidem uxorem ſibi fore banc* . Argum. Andr. v. II. Hic tamen fugiendi erroris cauſſa obiter adnotandum non modo Glycerii , ſed Myſis etiam , Dorcionis, Phanii , Philotiique nomina ad foeminas pertinere, Byrriae vero , Soſiae, Chaereae , Phaedriae, ut & Cliniae , Phaniae , Demeae ad maſculos . Ita lego S. Hieronymum foeminam Euſtochium alloqui , Cornelium vero Nepotem ſaepè maſculum memorare Leonidam .

(*d*) Ideſt Pamphili .

(*e*) *Hac fama impulſus Chremes* . Terent. Andr. Act. I. ſc. I. v. LXXII.

(*a*) Iracundus erat hic ſenex , pius tamen in Pamphilum filium , uti eum appellat Fraſmus , licet natura ſuapte vehemens, ſicut eſſe ſolet ἀπὸ τῦ σιμῦ , qui ſimo naſo eſt , ſeu preſſas habet nares , juxta tritas phyſiognomorum obſervationes . Reipſa poſtquam iram evomuit omnem *ſed* , ait , *quid ego ? cur me excrucio ? cur me macero ? cur meam ſenectam hujus ſollicito amentia* ? Terent. Andr. Act. V. ſc. IV. v. XIV. Gallica conferenda Andriae verſio eſt per Rogierium , Sibouriumque peracta , atque ei reſpondens , quem cum Adelphorum , tum Phormionis publici eos juris feciſſe perſpectum eſt .

(*b*) A φιλοργυίω , quod idem eſt ac *iracundiam diligo*

Negotium tranſigunt (*a*), dies conſtituitur
Faciundis (*b*) nuptiis. Atque huc devenerant
Res Pamphili, cum mulier Andria (*c*) moritur.
Simo tum primum coepit perſentiſcere (*d*)
De

ligo, inepte tamen, opinor, Philumenae nomen derivandum nonnulli cenſent.

(*c*) *Nam aliam*, ſcilicet Philumenam, *pater ei deſponderat gnatam Chremetis*. Sulpic. Apollin. Argum. Andr. v. IV.

(*a*) *Intus deſpondebitur* (ſunt Davi verba) *intus tranſigetur*. Terent. Andr. Act. V. ſc. VI. v. XVIII. Negotium tranſigere apud Juriſconſultos idem eſt ac excitatis finem imponere controverſiis. *Leg. II. Dig. ſi qu. caut. judic. ſiſt.* Negotia vero jurejurando tranſigi quondam conſueverant ſi res ipſa poſtulaſſet, adeoque Seneca *placet*, inquit, *tibi rem jurejurando tranſigi*. Declam. L. VII. in praef. Quod quidem deſumptum eſt ex *Leg. XXI. Dig. de dol. mal. Leg. XXXI. in fin. Dig. de jurejur.* Vnde quum duo *ſenes*, Chremes ſcilicet, & Simo, *negotium tranſigunt*, ut loquitur Giacomellius, & *dies conſtituitur faciundis nuptiis*, id efficiunt, quod nempè excitatis fine tandem impoſito controverſiis *redit res*, ut ejuſdem verbis utar, *in tranquillum .... nubit Glycerium Pamphilo, Philumena Charino*. Nil frequentius hac tranſigendi voce penes Terentium. *Tranſacta re convortam me domum*. Adelph. Act. II. ſc. IV. v. XXII. *Inter ſe tranſigant ipſi ut lubet*. Hecyr. Act. III. ſc. V. v. LXI. Vox quoque eſt a Cicerone maxime uſurpata, qui *ſin*, ait, *ut ego metuo, tranſactum eſt*. Epiſt. famil. ep. XIV. n. IV. *Quod faciendum primum fuit factum, atque tranſactum eſt*. Orat. in Catilin. or. III. n. VI.

(*b*) Pro faciendis, ideſt celebrandis. *Lectulos* .....
fa-

De filii amore: nam cum corpus Chryſidis In eo eſſet ut cremaretur (*a*), conjicere (*b*) ſe

Gly

faciundos... nuptias ſtudent facere. Terent. Adelph. Act. IV. ſc. II. v. XLVI. Act. V. ſc. VII. v. II. Sic Plautus *quid*, inquit, *faciundum*, pro faciendum, *cenſeant*. Menaehm. Act. IV. ſc. III. v. XXVI. *Odioſe faciundum*. Mil. Act. III. ſc. I. v. CLII.

(*c*) Mulier Andria ab Andro inſula maris Aegei nomen accipiens fabulae nomen dedit a Menandro primum, mox a Terentio elucubratae.

(*d*) *Ne id* (ſunt Syri verba) *tu perſentiſceres*, & infra *ubi poſſem* (loquitur Chremes) *perſentiſcere*. Terent. Heautont. Act. IV. ſc. IV. v. XXI. Act. V. ſc. I. v. XLIII. Sic Lucretius *viſcera*, inquit, *perſentiſcunt omnia*. De rer. nat. L. III. v. CCL. *Illum adeſſe perſentiſcerent*. Faern. Fabul. fab. LXVII.

(*a*) Veterum indigitat conſuetudinem Giacomellius, qui pyra in modum arae lignis conſtructa combuſtibilibus admoto igne coram propinquis, amiciſque cremabant cadavera, collectoſque cineres aſſervare ſolebant in ollis, velut ex quibuſdam maxime legibus conſtat XII. tabularum relatis a Cicerone. *De leg. L. II. n.* II. Huic peragendo ritui adfuiſſe quum ſupponatur Glycerium quoque ipſam, eo quod *ambo* (Simo nimirum, & Pamphilus) *in funus prodiiſſent*, ut verbis loquar Mureti, *accidit ut poſita in ignem Chryſide Glycerium* (haec amorem in Pamphilum veteratoria quadam calliditate ſimulaverat) *ſe prae doloris impatientia eodem conjectura videretur*. Argum. Andr. *Quum corpus Chryſidis* (haec Giacomellii verba) *in eo eſſet ut cremaretur*. Sic lego apud Cornelium Nepotem: *Quum jam in eo eſſet*, Miltiades, *ut oppido potiretur*. Vit. Miltiad. n. VII. Sed & meam nunc venit in

F men-

Glycerium vi doloris, & impatientia
In ignem viſa eſt: ea vero occaſio fuit,
Qua Pamphilus, quem tantopere celaverat
Amorem antea diſſimulatum (*a*), faceret
palam (*b*).
Qui forte funeri (*c*) aderat Simo pater, domum
Iniquo animo rediit: ad eum venit Chremes,
Compererat qui dudum de amore Pamphili:
Ac clamitando (*d*) filiam ſeſe negat

Da-

mentem eadem dicendi ratio a Lucretio uſurpata dum ait: *Atque in eo Venus eſt ut muliebria conſerat arva*. De rer. nat. L. IV. v. MC.

(*b*) Conjicere, vel injicere ſe ſignificat ire ſe perditum: Glycerium enim *ſeſe voluit*, ut Terentianis phraſibus utar a Giacomellio non repudiatis, *in ignem injicere*. Andr. Act. I. ſc. I. v. CXII. *Hic* (Dromus ſcilicet, aut Dromo, ut aliis lubet) *ſe conjecit intro*. Heautont. Act. II. ſc. III. v. XXXVI.

(*a*) *Bene diſſimulatum amorem, & celatum indicat*. Terent. Andr. Act. I. ſc. I. v. CV. Obſervandum quomodo Anglice verterit Georgius Weblius.

(*b*) Terentiana imitatio: *Amorem*, inquit Charinus, *huic*, ideſt Pamphilo, *narrabo meum*. Andr. Act. II. ſc. I. v. XIII. *Ne quid*, ait Aeſchinus, ... *fieret palam*. Adelph. Act. IV. ſc. IV. v. XIV.

(*c*) *Funus benigne proſequutus*, Juſtin. Hiſt. L. XI. n. XII.

(*d*) *Clamitans indignum facinus comperiſſe*. Terent. Andr. Act. I. ſc. I. v. CXVII.

(*a*)

Daturum umquam uxorem adoleſcenti jamdiu
Meretriciis amoribus (*a*) implicito: Simo,
Sibi ut eſſet objurgandi (*b*) filium locus (*c*),
Si propter amorem uxorem nollet ducere
Quaſi vere futuras ſimulat nuptias,
Atque ut ad eas paret ſe Pamphilum monet.

An-

(*a*) *Meretricios amores* (haec Simo Chremetem objurgans) *nuptiis conglutinas* ? Terent. Andr. Act. V. ſc. IV. v. X. Amores vero ejuſmodi non quales ſunt, ſed meliores a Terentio fingi opinatus eſt Voſſius. *Inſt. poet. L. II. c.* XXIV.

(*b*) *Redeo inde iratus* (Simonis exclamatio filii vitia notantis) *nec ſatis ad objurgandum cauſſae.... Si illum* (Pamphilum nempè) *objurges* (reſponſio Soſiae) *vitae qui auxilium tulit, quid facias illi, qui dederit damnum, aut malum* ? ..... *Quis igitur relictus eſt objurgandi locus* ? Terent. Andr. Act. I. ſc. I. v. CX. CXV. CXXVII. Non objurgandi modo aliquem nominatim, ſed & ejus vitia coram illo publice notandi libertatem nacti olim fuerant veteres fabularum actores, maxime qui rem exercuiſſent hiſtrioniam. Si quis enim erat *malus*, *aut fur... moechus.... aut ſicarius* (ex Horatii teſtimonio), *aut alioqui famoſus*, *multa cum libertate notabant*. Satyr. L. I. ſat. IV. v. III. Hinc nil mirum ſi *Diphilus tragoedus* (auctore Valerio Maximo), *eum apollinaribus ludis inter actum ad eum verſum veniſſet, in quo haec ſententia continetur*, miſeria noſtra magnus eſt, *directis in Pompejum Magnum manibus pronuntiavit*. Dict. fact. memorab. L. VI. c. II.

(*c*) *Quis igitur relictus eſt objurgandi locus* ? inquit

So-

Angebat animi adoleſcentem probi pudor
Patris, & amor ejus, cui diu conſueverat,
Tum data fides (*a*). Erat Charinus (*b*)
Pamphilo
Sodalis (*c*), miro amore qui Philumenae
Incenſus (*d*), ejus fruſtra nuptiis diu
Tentatis, cum videret ab re uxoria
Tantopere alienum (*e*) amicum, eam in
ſpem venerat,
Fore ut tandem voti compos fieret ſui:
Atque inter eos illud convenerat, ſuam
Vt quiſque conferret operam, quo nuptiae

Di-

Sofia, *ſi propter amorem*, reſpondit Simo, *uxorem nolit ducere*. Terent. Andr. Act. I. ſc. I. v. CXXVII. Eam autem dicendi rationem ad verbum, uti ajunt, noſter imitatus eſt Giacomellius.

(*a*) *Fidem ... ſe ſciret non deſerturum ut darem*. Terent. Andr. Act. II. ſc. III. v. XVII.

(*b*) A gratia, quaſi dicatur *gratioſus ἀπὸ τῆς χάριτος*.

(*c*) *Frater, aut ſodalis eſſet*. Terent. Adelph. Act. IV. ſc. V. v. LXXIII. Sodales proprie dicuntur qui ejuſdem ſunt collegii, rerumque jucundiorum inter ſeſe invicem ſunt participes.

(*d*) Scilicet abundans. *Amore*, dicebat Antiphoni Phaedria, *abundas Antipho*. Terent. Phorm. Act. I. ſc. III. v. XI. *Voi* (en Pagnini verſionem) *ſguazzate in amore*.

(*e*) *Abhorrenti ab re uxoria filiam darem in ſeditionem*. Terent. Andr. Act. V. ſc. I. v. X. Res uxoria ſimpliciter dicitur pro uxore, uti pro frumento rem di-

cit

Digitized by Google

Diſturbarentur (*a*). Verum Davus (*b*), particeps
Qui Pamphili erat conſiliorum omnium, vaſro (*c*)
Alioqui ingenio ſervus, per fallacias (*d*) In

cit frumentariam J. Caeſar. *De bell. civil. L.* III. *n.* XVI. Inſuper *abhorrere* (Philippi verba) *animum huic video a nuptiis* . Hecyr. Act. IV. ſc. IV. v. XCII.

(*a*) Ea ipſa voce uſus Terentius eſt . Sanè Davus Simonem alloquitur dicens non eſſe *ſpatium cogitandi diſturbandas nuptias* . Andr. Act. I. ſc. II. v. X.

(*b*) Legitur ab aliis Dacus , & Divus, eſtque gentile nomen a *Δαοῖς* gente ſervili , atque adeo ſervi Davorum nomine in comoediis appellabantur . Hinc Davus apud Terentium *Davus* , ſcilicet ſervus , *ſum* , inquit , *non Oedipus*, nimirum interpres. *Andr. Act. I. ſc.* II. *v.* XXIV. Vide *J' m Davus* (ſic Anglice Thomas Cookius , a quo parum diſcrepat Henricus Wottonius) *J' m ne Oedipus* . Daceria vero *Je ne ſuis pas* , Gallice inquit , *Oedipe moy , je ſuis Davus* , idest *ſervus ſum* , adnotante Farnabio , *barbarus , & ſimplex , non Oedipus , qui aenigmata , & perplexa problemata poſſim ſolvere* . Not. in Andr.

(*c*) Corvum , ut Faernii verbis utar , *vafra blando aggreſſa ſic vulpes dolo eſt* . Fabul. fab. XXXIII.

(*d*) Davus dolum ſtruxit , ſeu concinnavit , ut Latinis placet , quod Graeci *ἐῤῥάψαμεν* eleganter dicunt , ac per fallacias ſtuduit ex falsis veras nuptias facere . Stephanus ſanè ſignificationem referens verbi *ῥάπτω* ex Terentio mutuatur exemplum , eo quod Antipho exclamet : *Hei ! metuo lenonem ne quid ſuo ſuat capiti* . Phorm. Act. III. ſc. II. v. VI. Ubi adnotandum ex omnibus , quae afferuntur , explicationibus eam eruditiorem , ut arbitror, eſſe, quam

Id dum ſtudet herilem quo filium adjuvet (*a*),
Ex falſis pene veras nuptias facit
Imprudens (*b*): turbae (*c*) exiſtunt maxumae; donec

Qui

quam Mureto tribuit jure Minellius. *Adnot. in Phorm.* Ille enim ut Graecis *εισ κεφαλὴν*. ſic Latinis ſuo capiti formulam eſſe autumat male precandi. Vnde ad fraudem aliquam, dolum, inſidiamque alludit Terentius (Graeci *τὸ ῥάπτειν* dicunt, ut ex Scaligero notat Farnabius. *Adnot. in Phorm*) veramque Davi fallaciam intelligit Giacomellius. Ejuſmodi vero alios fallendi formulas penes ſcriptores veteres paſſim invenio. *Μήτε*, ſunt Phocilidis verba, *δόλους ῥάπτειν, μήθ' αἵματι χεῖρα μιαίνων*. v. ıı *Νῦν εἰς γυναῖκ' ἔρράψας, οἷα δὴ γύνη*. *Euripid. Androm.* v. DCCCCVI. Vbi scholiastes *ἔρράψας, ἐβουλεύσω. κατεσκευάσασ*. Inſuper *δόζω ... ῥάψαι μόρον σοι, σῆς τυραννίδος χάριν*. *Iphigen. in Taur.* v DCLXXXI. At eam phraſim Euripidem ab Homero ſumpſiſſe video, qui *τὶν δὲ σὺ*, inquit, *τηλεμάχῳ θάνατον τε μόρον τε ῥάπτεις*, quam dicendi rationem interpretatur Euſtathius *Comm. in Homer. Odyſſ. L. XV.* v. CDXXII. *τὸ δὲ ῥάπτειν φίλη τροπὴ ἐστι τῷ ποιητῇ ἐπὶ τῶν κατὰ δόλον*. Tandem ex Alciphrone colligitur (ſiquidem de fallaciis habetur ſermo) verbum quoque *καττύω* eadem metaphorica, ut loquuntur rhetores, ſignificatione uſurpatum, quum ipſe dicat *καττύεισ διαβολὰς ἀγεννήτους*. *Epiſt. L.* III. *ep.* LVIII.

(*a*) *In nuptias conjeci herilem filium*. Terent. Andr. Act. III. ſc. IV. v. XXII.

(*b*) Davus apud Terentium ſervili permotus affectu ſe ad forum convenire Pamphilum jactat *ne de hac re pater imprudentem opprimat*. Andr. Act. I. ſc. III. v. XXIII.

Thais

Qui proximus erat genere Chryſidi (*a*),
Andrius
Quidam Crito (*b*) advenit, quo illius cerneret
Haereditatem: hujus interventu redit
Res in tranquillum (*c*) : filiam invenit
Chremes:

Nu-

Thais vero meretriciam redolens facundiam, ſeu amatoriam potius veſaniam *forte fortuna adfuit* (hoc ejus proloquium) *hic meus amicus* (Thraſonem intelligit militem, quem ſtolidum, arrogantemque vocat Eraſmus) *emit eam* (ideſt Pamphilam) *dono mihi imprudens harum rerum, ignaruſque omnium*. Eunuch. Act. I. ſc. II. v. LIII. Parmeno tandem ſervili quadam jactantia, adnotante Caſaubono. *Nit. in Hecyr.* magnificentius, quam verius dicit *ſcio, neque hoc imprudens feci*; poſtea vero audito Pamphili reſponſu *equidem plus hodie boni*, ſubdit, *feci imprudens, quam ſciens ante hunc diem unquam*. Hecyr. Act. V. ſc. IV. v. XXXVIII. *Truly i have done* (Anglice vertit Cookius) *more good this day without knowing it than ever i did before with deſign*. Quare ex falſis penè veras nuptias imprudentem facere idem eſt ac imprudentem ſe gerere in tranſigendis nuptiarum negociis, veluti de Davo intelligit Giacomellius.

(*c*) Ex Andriae lectione decerpſerat hujus prologi auctor eam dictionem, eo quod Terentianus Davus vafro alioqui ſervus ingenio Chremetem, Myſimque alloquutus *quid*, dixerit, *turba eſt apud forum? quid illic hominum litigant?* Act. IV. ſc. V. v. VI.

(*a*) *Eſtne* (ſic Terentius) *hic Crito ſobrinus Chryſidis?* Andr. Act. IV. ſc. VI. v. VI.

(*b*) Hoſpes Andrius ἀπὸ τοῦ κριτοῦ, quem pauperem

Nubit Glycerium Pamphilo, Philumena
Charino. Habetis Spectatores optimi
Quid Andria ferat: facite jam, ut alacritas
Adoleſcentum noſtrum (*a*) augeatur in dies.

perem vocat Eraſmus, ſed tamen probum, impatientem contumeliae; cujus *interventu*, ait Giacomellius, *redit res in tranquillum*, & ille *dat*, ut cum Sulpicio loquar Apollinari, *Pamphilo hanc*, nimirum Glycerium, *aliam*, nempè Philumenam, *Charino conjugem*. Argum. Andr. v. XII.

(*c*) Idem ac *tranquilla res eſt*. Terent. Phorm. Act. III. ſc. I. v. XV.

(*a*) Academicorum Latinorum.

EXPLICIT
PROLOGVS ANDRIAE.

EV-

Digitized by Google

XL'X.

EVNVCHVS.



TITVLVS.

ACTA . LVDIS . MEGALENSIBVS . L. POSTHVMIO . ALBINO ET . L. CORNELIO . MERVLA . AED. CVR. EGERVNT . L. AMBIVIVS . TVRPIO . ET . L. ATTILIVS . PRAENESTINVS MODOS . FECIT . FLACCVS . CLAVDI . F. TIBIS . DVABVS DEXTRIS . GRAECA . EST . MENANDRV . ACTA . II. M. VALERIO . MESSALA . ET . GN. FANNIO . STRABONE . COSS. AN. AB . V. C. DXCIII. ANTE . XPTVM . NATVM CLIX. ACTA . DENVO . ROMAE . AB . ACADEMICIS LATINIS . IN . THEATRO . COLLEGI . SALVIATI . LVDIS BACCHANALIBVS . AN. MDCCXXXIX.

PLACVIT.

G

Digitized by Google

L.


EX EVNVCHO.

Sine Cerere , & Libero friget Venus :
Act. IV. ſc. v. v. vi

Quod cavere poſſis ſtultum admittere eſt .
Act. IV. ſc. vi. v. xxiii.

Omnia prius experiri verbis , quam armis ſapientem decet .
Act. IV. ſc. vii. v. xix.

Novi ingenium mulierum :
Nolunt ubi velis ; ubi nolis cupiunt ultro .
Act. IV. ſc. vii. v. xlii.



Digitized by Google

⟨ LI. ⟩

MATANIVS OBERLINIO
S.

ARGENTORATVM.

SI vales bene eſt, ego quidem valeo. Aeque, ut videtur, mi Oberlini, gaudendum invicem; tibi mea erga te, mihi tua in me humanitate, ac benevolentia. De his autem, ne injuriam faciam amicitiae noſtrae, libentius taceam, quam pauca dixerim. Nunc vero longo quum disjungamur intervallo regionum tecum per litteras iterum loqui cupio. Quod ad te attinet non puto futurum unquam ut mei memoriam aboleri patiaris, & quorum animos ſtudiorum ſimilitudo conjunxit locorum longinquitas diſtrahat. Ego certe tuas quum lego litteras eruditionis plenas tecum videor eſſe, tua uti conſuetudine, tuo frui colloquio. Beavit me jucunda tui recordatione ſupra caeteros Voſmaerius, qui in Italiam quum diverti ſſet, & ſuperioribus menſibus eſſet pervagatus Etruriam, quo Romam uſque contenderet, humaniſſimis verbis me tuo nomine juſſit ſalvere plurimum. Nae tu es optime amandi, amoriſque tui declarandi artifex. Non eſt tamen cur vereare ne mihi ex animo excideris. Diu quidem ſilui modo publicis, privatiſque ſtudiorum curis diſtentus, modo valetudine oculorum non ſatis commoda impeditus, ſaepiſſime vero quodam maerore animi, quod audiviſſem ſcilicet amicos interiiſſe nonnullos, quos mors ſola disjungere potuit, & ſpectabilem cumprimis virum, in cujus perſcribenda vitae ratione mihi ſuperiore anno fuit adlaborandum. Erat hic cele-

berrimus Giacomellius ab egregiis animi, ingeniique dotibus commendatiſſimus, quem nunquam mori oportuiſſet. Nec plura. Vrgent lacrimae. Perlatum eſt ad me per amicum ſuaviſſimum Herrmannium, quod quidem mihi jucundiſſimum fuit, publicis te, tuumque comitem Laurentium in docendo implicari laboribus, ut juventus, quae undequaque ad Argentoratenſem confluit academiam, ſanioribus cum politioris litteraturae, tum humaniorum litterarum imbuatur praeceptis. Hinc valdè mihi ea omnia probantur, quae cum de cultiori Latini ſermonis inſtitutione per te diſſeminantur impenſius, tum quae de Terentianis fabulis explanantur a Laurentio. Atque eam ob cauſſam mihi de Giacomellii ejusdem prologis in Terentium iterum evulgandis cogitanti in mentem venit eos aequo ad te animo mittere verſiculos ab eo peractos, quibus populo edictum de Eunuchi, & Hecyrae fabulis agendis. Meam vero ut ſincere, & ſine fuco perſequar Romano ſermone ſententiam nil vidi, legique unquam exaratum opportunius, ac diligentius ab Italis noſtris, quod ad Terentianam, Plautinamque accedat propius ſcribendi rationem, quam quod in iis, ac caeteris exhibetur verſiculis. Artis intereſt rhetoricae, intereſt poeticae ſcriptorem habuiſſe percelebrem, qui praeter Graecos, quos ſemper imitari in animum induxerat ſuum, Latinos etiam comicarum rerum auctores ſtyli aequavit jucunditate, ratione ſcribendi, eruditione verborum. Atque utinam Plautinas quoque fabulas omnes novis, ut & Terentianas omnes, exornaſſet prologis, noviſque verſiculis! Eam ob cauſſam operae pretium eſt eos ſaltem, quos confecit prologos, atque verſiculos magis, ac magis reddere familiares,

ut

ut qui fabulis erudiuntur, ac delectantur iſthanc quoque ad ſua ſtudia habeant acceſſionem. Quos dum lego ſatis mihi videor habere quo aliquos excuſare non poſſim implacabiles Latini ſermonis hoſtes, qui eruditorum linguam parvi faciendam quum putent, eam per ſummam ignaviam cenſorio detrectant ſupercilio, quam alii libertate ſumma reſpuere nefas exiſtimarent. Ceterum ego, quamquam multa cauſari poſſem, ſi quaeris, ſic exiſtimo qualiacumque per pluſculos homines, quos tamen indoctos facile dixeris, de Latinorum dictitantur lingua, ea confictis anicularum fabellis accenſenda, atque inanibus otioſorum deliramentis. Ecquando tu homines ineptiores vidiſti? Quae tamen vir non indoctus ſuperioribus annis in eos, qui Latinae ſcriptioni litarunt, per occaſionem ultroneam effutire non renuit, ſatis Giacomellii exemplo confutata vides, utpotequi nunquam viſus eſt ab Latinis ſcriptoribus deſciviſſe. Qui ſecus cogitant inſulſa multa ſomniando congerunt, quae riſum potius, & ſtomachum movent, quam ab hominibus comprobentur cordatis, ac liberaliter inſtitutis. Nihilo tamen ſecius ſi quod ſentio libere eſt ſcribendum fateor Latinam linguam ob ſui fortaſſe difficultatem quibuſdam extra Italiam maxime degentibus diſplicuiſſe ſcriptoribus qui demortuam, ut ajunt, quum vernaculae autument poſtponendam, rationes jactitant ſanè leves, leporis vero, & amoenitatis plenas, omnia itidem quaeſtionibus inutilibus ſuſque deque vertentes. Hinc factum ut multi rei novitate illecti non voce tenus, ſed ſcripto etiam ſcientiarum quarumcumque colluſtrationem (quippequi nondum ſatis Latine noſſent) nativo ſermone vulgaverint. Quam falſo id aliquando confictum ſit ipſa res monet. Miſerum me,

qui


qui haec incogitans auſus ſum de ſcriptoribus dicecere, quibuſcum te video foedere aliquo conjunctum! Ignoſcas velim ſi eos ita ſentio comparatos, propriis ut opinionibus illorum quiſquam blandiatur facillime, easque adeo habeat in deliciis, ut vel mediocria putare velit optima. Neque diffiteor nativum excolendum ſermonem, quin potius a compluribus negligi doctiorum querela eſt, nec immerito, ut opinor, crebris uſurpata ſermonibus. Sed quis neſciat Latinam linguam Italorum ſemper fuiſſe, non exteram, non hoſpitem, non alienam, & a majoribus noſtris tantopere excultam? Majoribus reapſe noſtris quis non ſubſcripſerit? Veram, & germanam ipſorum detrectare ſapientiam indecorum, & nugatorium eſt. Tantundem enitendum nobis, eo praeſertim tempore, quo Latina verba deſpectui habere videntur qui eorum difficultate deterriti populares, facilioreſque addiſcunt linguas, quas itidem praedicant venuſtiores, ac ſi relicta matrona majeſtatis plena, & antiquae ſeveritatis accederent ad mulierculas conquiſitis lenociniis undique diffluentes. Quorſum tandem? Sin cavillari quis audeat inficetus, & delicatulus, perſpectum habeat me eos non alloqui, quorum in animos inſinuari nec ratio poteſt, nec auctoritas. Neque me loqui putes magnificentius, quam verius, quum eos a me facile abducam, qui quaecunque inficiari non audent corrumpunt miſere, & ad ſomnia ſua detorquent. At loripedem rectus derideat, Aethyopem albus. Nos inſtitutum noſtrum tenebimus noſtris nequicquam obtrectantibus. Tuo in judicio, probationeque ipſe conquieſcam, mi Oberlini, quem ſcilicet ejus rei peritiſſimum puto. Do teſtem tractationem illam

tuam

tuam doctam oppido, & elegantem ad me ſuperioribus annis pro ſingulari humanitate tua per Edelmannium Dietrichii in litterario itinere ſocium miſſam, ubi priſca graphice congeſta leguntur jungendorum marium, fluviorumque molimina. Perlatum itidem eſt ad me, quod perjucundum ſcitu mihi fuit, evulgaſſe te nuper deſcriptionem pervenuſtam lapidum, marmorum, vaſorum, quorum cuſtodiam inierat Schoepflinius. Quam vellem meorum ut in manus amicorum irreperet eximium opus! Ego utique legerem perlibenter, ut & larium, nummorum, gemmarum ab Schoepflinio ipſo collectarum illuſtrationem, quae ignoro an fuerit edita. Sed vide, amabo te, è prologis elucubratis a Giacomellio quo delapſa ſit epiſtola. De animadverſionibus meis ne verbum quidem: Meam ſaltem operam quantulamcumque amabis ſpero. Habes enim, amice ſuaviſſime, quod ego animadverti poſſe contendebam; etſi volens lubenſque fateor quod majus ingenium, majus eloquentiae flumen res tanta deſiderat. Homini libenter ignoſces, qui ne moroſo ullo, ſi fas eſt, agitetur faſtidio litterariis quandoque nugis feſſum ab ſtudiis ſeverioribus recreat animum. Scire aveo quid de novis verſiculis fabulae cujuſvis titulos exhibentibus, quid de ſingulis, noviſque prologis ſentias. Vix tamen adducar ut credam per te, collegaſque tuos, Schererium maxime, Laurentium, Lobſteinium improbatum iri laborem ejuſmodi, quem tanti faciunt Itali noſtri. Hominem ſanè auctorem habent percelebrem, cujus ſapientiae fama regiones quoque diſſitas penetravit. Id quod tu ipſe, veluti ſperare licet, tanto veritatis lumine fateberis, ut niſi quiſpiam latinitatis ignarus nil, quod non ineptum om-

omnino ſit, poſſit contra muſſitare. Sed concubium jam imminet noctis; & quoniam video quantum epiſtola haec mea praeter opinionem excreverit, in aliam compluſcula conijciam, ſi plus otii habuero. Illud tamen pro certo habe nunquam tui memoriam meo ex animo poſſe divelli. Eos enim oculis cernere planè mihi videor, quorum perjucunda recordatione niſi paullulum ſuſtentarer, male mecum profecto agerem, ac ſaepe quum animus triſti aliqua cogitatione maxime exaeſtuat, odioſus mihi eſſem, ac planè inviſus. Vale, & tui amantem redama, amiciſque noſtris nominatim ſalutem plurimam impertire.

PISTORIO III. NON. IVN. MDCCLXXVI.



VER-

Digitized by Google

VERSICVLI

QVIBVS POPVLO EDICTVM EST DE EVNVCHI ET HECYRAE FABVLIS AGENDIS.

SAlvete (*a*) multum qui latinis
litteris,

Et

(*a*) Vſitata penes Terentium ratio ſalutationis. *Sed quos perconter? Video. Salvete*. Andr. Act. IV. ſc. v. v. v. *Quem*, exclamat Phaedria, *hic ego audio? O Thraſo!* Reſpondet Thraſo: *Salvete*. Eunuch. Act. V. ſc. IX. v. XXX. Dicenti vero Phaedriae *mi patrue ſalve* reſpondit Demipho *ſalve, ſed ubi eſt Antipho?.... Here ſalve*, ſubjungit Geta, cui Demipho: *Oh, bone cuſtos, ſalve*. Phorm. Act. II. ſc. I. v. XXIV. & LVI. *O il ben tornato* (ita Bergallia) *mio zio...... Buondì. Ma Antifon dov' è?.. Padrone il ciel vi ſalvi ... Oh ſalve il mio cuſtode dabbene*. Inſuper *ti ſaluto* (Forteguerrius) *mio zio*; *ed io te pure: Ma Antifone dov' è? O padron mio io ti ſaluto. Buon giorno, o noſtro bravo direttore!* Bacchidi Laches dicit *ſalve*; *ſalve Laches* reſpondet Bacchis. *Hecyr. Act. V. ſc.* I. *v.* v. Chuſai Arachites amicus David ſalutationis gratia ſic ex verſione LXX. interpretum alloquutus eſt Abſalonem *ζήτω ὁ βασιλεὺς*. Joabuſque Amaſae dixit *εἰ ὑγιαίνεις σὺ ἀδελφέ*. *Reg. L. II. c.* IX. *v.* XX. Tantum abeſt ut ſalutationis formulae, uti nonnulli putant, a veteribus uſurpatae minime fuerint, quin & penes Graecos eas in uſu fuiſſe teſtetur Homerus: Achilles enim Agamennonis dum nuncios letus excepiſſet in haec grata verba prorupit: *Χαίρετον, ἦ φίλοι ἄνδρες ἱκάνετον*. *Iliad. L. X. v.* XXIV. abſolutoque prandio ita Vlyſſes arrepto cyatho ſalutavit

Achil-

Et artibus favetis (*a*) optimis, bene La-

Achillem : Χαῖρ' ἀχιλεῦ, & perſaepe vox ipſa χαῖρε repetita videtur. Sic foeminis, quae olim a veteribus Graecis κανηφόραι dicebantur, ſuadet Callimachus ut dicant δάματερ μέγα χαῖρε. *Hymn. in Cerer.* Allata vero comicorum ſalutatio uſurpatur etiam a Plauto, apud quem Aſtaphium (ancillae nomen) Stratilaci ſervo dicit *ſalve*, eidemque reſpondetur *ſatis mihi eſt tuae ſalutis*. Truculent. Act. II. ſc. II. v. IV. Sed ſalus ipſa pro dea ſalutis veterum more accipitur a Terentio, quum Demeam inducit eam commemorantem. *Ipſa* enim, ut Demea loquitur, *ſi cupiat ſalus ſervare prorſus non poteſt hanc familiam*. Adelph. Act. IV. ſc. VII. v. XLIII. Unde ſalutaris porta Romae olim appellata, quae ejus templo proxima fuit. Colebatur autem a Romanis ſalus non aliter ac a Graecis ὑγεία, cujus aedes a C. Junio Bubulco cenſore locatae ſunt. Eas enim Samnitico bello, dictator quum eſſet, dedicavit, famaque eſt fuiſſe a Fabio depictas. *Cicer. De nat. deor. L. II. n.* XXIII. *Liv. Hiſt. Rom. L. IX. n.* VI. Non modo vero incolumitati generatim, ſed corporum valetudini praefuiſſe declarat ipſe Terentius. Inquit enim Soſtratam repraeſentans prudentem matronam *male metuo ne Philumenae magis morbus aggraveſcat : Quod te, Aeſculapi, & te, ſalus, ne quid ſit hujus oro*. Hecyr. Act. III. ſc. II. v. II. Sed Hiſpanienſis legenda verſio, quam Petrus Simon Abrilius perfecit. Vid. *Terent. cum not. Boecler. & Gujet*. Revera eam Aeſculapio conſociat medicinae praeſidi, quem Apollinis filium jam effinxerunt poetae, & cujus in honorem Epidauri in Achaja fanum accepimus exaedificatum, ubi cubantes aegroti morborum remedia capeſſere credebantur.

(*a*) Qui optimis faviſſent artibus alio ſenſu favere olim jubebantur in comoediarum prologis, quum imperaretur ipſis ſilentium, ne ulla importuna voce in theatris ob-

Latino cum Gregi (*a*) cupitis (*b*), & copiam

De-

obſtrepente repraeſentari fabula prohiberetur. Hinc Terentius ipſe *favete*, exclamat, *adeſte aequo animo, & rem cognoſcite*. Andr. Prolog. v. XXIV. *Favoritelo voi* (vertit Forteguerrius) *e con giuſto animo peſate ben la coſa*. Inſuper *pour vous, Meſſieurs* (ſic Daceria) *nous vous ſupplions de nous ecouter favorablement, & d' examiner cette piece*. Lipſius vero *at vos favete* (ita proloquitur) *& date creſcendi copiam ingeniis, quae ſe publico applicant bono*. Praef. in epiſt. quaeſt.

(*a*) Gregis vocem a beſtiarum multitudine deſumptam, & pro conventu hominum a ſcriptoribus metaphorice, ut dicunt rhetores, uſurpatam neque rejecit Terentius, neque Plautus, quorum uterque ſcenicorum turbam intelligit, ſeu multiplices comoediarum actores. *Unum etiam hoc vos oro*, inquit Gnatho, *ut me in voſtrum gregem recipiatis*. Terent. Eunuch. Act. V. ſc. IX. v. LIV. *Ad alium mox defertur gregem*. Prolog. Heautont. v. XLV. *Atque hercle hic de grege illo eſt*. Adelph. Act. III. ſc. III. v. VIII. *Noſter grex motus loco eſt*. Prolog. Phorm. v. XXXIII. *La noſtra compagnia* (ſic verterem) *ha perduto il luogo*. Non ita Joannes Fabrinius. *Mihi, atque vobis res vortat bene, gregique huic*. Plaut. Prolog. Aſinar. v. II. *Hic vos nunc pariter bonam boni operam date gregi*. Prolog. Pſeudol. v. IX. Hinc conductorum grex dicitur qui continet *gl' impreſarj* (ut ad normam loquar Italorum) *e i recitanti*. Vid. *Ricc. Calligr. Plaut. e Terenz. p.* LX. Contubernium vero Latinorum pro grege innuit Giacomellius, Romanos ſcilicet academicos, qui Latini id temporis appellari maxime conſueverant, quo Terentianae, Plautinaeque fabulae impenſius Romae agebantur, quum dramaticae Latinorum veterum poeſi incumbere conſtituerint. Eorum nomina ſingulis praefixa fabulis in earum editione

Re-

Dediſtis (*a*) uſque ad hanc diem qui creſceret.

Te-

Romana leguntur. Sic Plautus gregem inducere conſueverat comoediae finem nonnunquam imponentem, unum nempè, vel plures ex ipſo grege ſpectatoribus nunciantes ut plauderent. *Nunc vos, ſi vobis placet* (ſunt gregis Plautini verba) *& ſi placuimus, neque odio fuimus, ſignum hoc mittite..... plauſum date*. Captiv. Act. V. ſc. v. v. VI. *Aequum eſt* (ſic alibi) *manibus meritis meritam mercedem dare*. Caſin. Act. V. ſc. IV. v. IV. *More majorum date plauſum*. Ciſtellar. Act. V. ſc. I. v. VI. *Si voltis applaudere, atque approbare hunc gregem, & fabulam, in craſtinum vos vocabo*. Pſeudol. Act. V. ſc. II. v. XLI. *Si placuit plauſum poſtulat comoedia*. Poenul. Act. V. ſc. VI. v. XXXIV. Hinc perſpicuos puerorum greges dixit Seneca *Epiſt. ad Lucil. ep.* CX. ſervorum gregem Juvenalis *Satyr. ſat.* XII. gregem comoedorum, & hiſtrionum Petronius *Satyr.* §. XI. perſonatos greges Donatus. *Adn. in Terent. Adelph.* Tandem Arimini in bibliotheca Gambalonga ſequens habetur inſcriptio Eutychetis cujuſdam, qui in urbano hiſtrionum grege ſtupidi egiſſe perſonam videtur:

D. M.
AEMILIAE . IRENE . QVAE . VIXIT . ANN. XXVI.
DIEBVS . XIIII. AVRELIVS . EVTYCHES . STVPIDVS
IN . GREG VRB. CONIVGI . KARISSIME.

Sed rem explanatam video prae caeteris a Pignorio. *De ſerv. p.* XX.

(*b*) Idem ac *favetis*, ſeu *bene vultis*, atque eadem ſignificatione dixit Terentius *quod* (ſunt Critonis Andri dictiones) *ipſi cupio Glycerio*. Andr. Act. V. ſc. IV. v. II.

(*a*) Effeciſtis ut quotidie magis augeretur.

(*a*)

Terentii exhibemus fabulas (*a*) duas Eunuchum (*b*), & Hecyram (*c*): Et Eunuchum quidem damus

Acer-

(*a*) Scilicet confictas narrationes in comoediis adhibitas, & in theatris agendas. Hinc Simo Terentianus Critoni, Chremeti, Pamphiloque dicit: *Fabulam inceptat* Andr. Act. V. ſc. IV. v. XXII. res nimirum enarrat fictas, mendaces, & nugatorias. *Hecyra eſt huic nomen fabulae*. Prolog. Hecyr. v. 1. *Nos jam fabulae ſumus*. Hecyr. Act. IV. ſc. III. v. XIV. Quemcumque vero ſermonem fabulam primitus dixere veteres. Vnde Plautinum illud *atque eccum tibi lupum in ſermone* Stich. Act. IV. ſc. 1. v. LXXI. ita extulit Terentius dicens *lupus in fabula*. Adelph. Act. IV. ſc. 1. v. XXI. Haeſit demum vox in ſermone anili, & fabuloſo, adeoque conficta quum eſſent cum ludorum, tum dramatum argumenta, fabulas appellari placuit.

(*b*) Haec fabula, quae meruit VIII. ut nummorum M. ab aedilibus Terentio darentur, non ſolum bis acta creditur L. Poſthumio, & L. Cornelio Merula Aed. Cur. atque inſuper M. Valerio Meſſala, & Gn. Fannio Strabone CSS. ſed non deſunt qui eam bis eodem die putant fuiſſe actam. *Tanaquill. Fab. Notul. ad Terent.* Percelebris eſt Gallica ejuſdem verſio, quae per Janum Antonium Baiſium Caroli Noni temporibus prodiit, atque iterata legitur a Martignatio, Fontanioque, quamque altera excepit Italica a Neapolitano quodam poeta, cujus ignoratur nomen, exarata perdiligenter. Atticus in ea exhibetur civis, qui Chremetem, & Pamphilam filios habuit. Rapta Pamphila, & Rhodum advecta meretrici traditur, quae Thaidis filiae ſociam facit. Interim Chaerea adoleſcens ornatu Eunuchi indutus eam adſpicit, diligit, facit gravidam. Vnde Thais variis interjectis eventibus a ſene quodam, cui Lachetis inditum nomen, Pamphilaque a Chaerea

rea

Acerrime caſtratum (*a*), ita ut ſibi nihil

Ti-

rea in clientelam invicem accipiuntur uxoriam . Monendum tamen è Menandri Eunucho fabulam paucis immutatis ea ratione expreſſiſſe Terentium, Menandri ut Davus eſſet Terentii Parmeno , Chryſis fieret Thais, Chaereſtratus converteretur in Phaedriam . Sed Graeca Menandri fragmenta ſunt perſcrutanda , ea praeſertim, quae reſtituit Pacichellius , & illuſtravit .

(*c*) In hac fabula deſcribitur a Terentio Pamphilus adoleſcens Lachetis è Soſtrata uxore filius , qui viciata per errorem Philumena, puella nimirum è Phidippo , ac Myrrhina olim progenita , eique detracto annulo in Imbrum inſulam Thraciae proximam proficiſcitur . Ejus vero argumentum infra in adnotationibus in alterum Hecyrae prologum uberius proferam .

(*a*) Spoliatum nempé rebus inverecundis , quae in eiuſmodi inveniuntur fabula . A comicis Graecis dicitur ἀφῃρέϑη , *ademptus* ſcilicet , *ablatus* , *ſubductus* , *abſtractus* , ut in Ariſtophane στέφανον ἀφῃρέϑη . *Nub. Act. II. ſc.* II. *v.* XVI. Tali ablactione opus erat , ſibi ut nihil timeret pudor in hac , & reliquis agendis Terentii comoediis coram bene moratis adoleſcentibus , quales erant qui in Romanam erant Latinorum academiam cooptati, quia φϑείρουσιν ἤϑη χρῆστ' ὁμιλίαι κακαί . *S. Paul. ad Corinth. epiſt. I. c.* XV. *v.* XXXIII. Conſtat enim abjectis lenociniis eorum , qui callide Terentianos inter comicos debacchantur , ac meretricios amores nuptiis conglutinant , quidquid eſt reliquum ſelectiorum ita eſſe ſententiarum , quarum aliquas auctor è Platone lubentius excerpſit , monitorumque plenum , ut Schonaejum ad librum, qui Terentii Chriſtiani titulo inſignitur , publici juris faciendum impulerit . Sed ut verum fatear S. Auguſtinus , qui caſtos alioquin , & ſententiarum plenos referre non dubitat Terentii verſiculos , legens Charini verba *nihil aliud* , *niſi*

Phi-

Digitized by Google

Philumenam volo Andr. Act. II. ſc. 1. v. v. adoleſcentem vocat eum flagitioſum, inſana flagrantem cupiditate. *De civit. Dei L. XIV. c.* VIII. Teſtatur etiam *Confeſſ. L. I. c.* XVI. in Eunucho Terentii *Act.* III. *ſc.* 1. *v.* XXXVI. *ſc.* v. *v.* XXXV. magnam ſe adnotaſſe turpitudinem; neque accuſat *verba*, ut inquit, *quaſi electa, atque pretioſa, ſed vinum erroris, quod in eis propinatur ab ebriis doctoribus.... Et tamen*, ſubdit, *ego, Deus meus, in cujus conſpectu jam ſecura eſt recordatio mea, libenter haec didici, & eis delectabar miſer, & ob hoc bonae ſpei puer appellabar*. Sed inſuper *rapiebant*, ait, *me ſpectacula theatrica plena imaginibus miſeriarum mearum, fomitibus ignis mei*. L. III c. 1. Quod quidem ſerio perpendens S. Ignatius Lojola *in ſcholis Terentium explicari, ni perpurgatus eſſet, quamquam optimum latinitatis auctorem, & Romanae comoediae principem, vetuit nominatim, quod eum videlicet parum verecundum, ac parum pudicum arbitraretur. Noluit igitur ea lectione puerorum animos imbui, ne plus moribus noceret, quam prodeſſet ingeniis*. Maff. Vit. S. Ignat. L. III. c. VIII. Aequum ſanè erat ne mores corrumperentur adoleſcentium, nihilque ſibi timeret pudor eorum, qui ad Eunuchi Terentiani fabulam Romano in theatro bacchanalibus ludis agendam ſpectatum advenerant, quaedam Chereae adoleſcentis, & Thaidis inhoneſtae foeminae caſtrare colloquia, eaque callide temperare, quae Doriam ancillam inter, & Gnathonem paraſitum inverecunde inſtituta leguntur. Nam *ut in ſenibus gravitas*, ex monito S. Ambroſii, *in juvenibus alacritas, ita in adoleſcentibus verecundia commendatur*. Offic. L. I. c. XVII. Quod ſi Eunuchi fabula, cui verſiculos, quibus de ea agenda populo edictum eſt, appoſuit Giacomellius, Romae an. MDCCXXXIX. integra publicam lucem adſpexit, id factum arbitror ne Terentii textus prae omnium latinitatis cultorum manibus reperiendus fidelibus honeſtiorum, doctiorumque juvenum oculis imperfectus ſubijceretur. Se enim XX. ann. natum legiſſe Terentium, ipſiuſque elegantiam, & veritatem interpretationis aliis commendaſſe ipſe

fate-

fatetur S. Hieronymus *Epiſt. ep. ad Pammach. de opt. gen. interp.* idemque ad comicum ſtatuit pertinere humanos mores noſſe, atque deſcribere. *Epiſt. ep. ad Fur. de viduit. ſerv.* Actionem vero incorruptis adoleſcentium Romae degentium moribus accommodatam fuiſſe ſuſpicatur nemo, quum redditam exiſtimemus bene moratam, quae bonos deceret. Revera *nil dictu foedum, viſuque haec limina tangat; maxima debetur puero reverentia.* Juvenal. Satyr. ſat. XIV. v. XXXVI. Quamvis autem obſcoenos in Plauto jocos, mores molles, & laſcivos Maſſilia dignos, vel Tarento agnoverit Lipſius *Epiſt. quaeſt. L. II. ep.* XVIII. Terentiumque pudicum totum jactaverit, caſtum, verecundum, & quem a ſacris ſuis Veſta non arceat, eum tamen, me quidem judice, quiſpiam non dictitaverit a nota Plautina ſemper immunem; tametſi certum muſas Terentiano tantum ſermone loquuturas, ſi loqui vellent, dulceſque Latini leporis facetias per Caecilium, Afranium, Terentium pari aetate nituiſſe. Vid. *Cellar. De ſolut. orat. ſcript.* Neque tandem cenſeo reticendum quod de Terentio ad cardinalem Carolum Borromejum, doctum illum quidem virum, quodque ad rem noſtram facere maxime videtur, ſanctiſſimis praeditum moribus, ſcripſit olim vir ſummus Petrus Victorius. Scripſit etenim *ipſum valdè utilem eſſe, & ad Latinam linguam puriter perdiſcendam, & ad vitam hominum ſuaviter excolendam. Nam quin accurata lectione Terentii mores emendentur, & politiores, integrioreſque reddantur, ſi quis conſilium illius, finemque attendat, corrigique ſe patiatur, dubitandum non eſt: Sunt enim fabulae ipſius (quantum ratio ejus poematis fert) honeſtae, ac graves, remotaeque ab omni turpitudine verborum, factorumque: Talem autem ipſum fuiſſe natura, moribuſque facile ſuſpicari poſſumus. Cujus rei etiam indicium eſt quod ille uſus eſt conſuetudine ſanctiſſimorum, moderatiſſimorumque ſuae aetatis virorum, qui non tantopere ipſum dilexiſſent, nec in amicitiam ſuam irrepere paſſi eſſent, niſi ſimilis ipſis, parque ingenio, ac vita fuiſſet.* Haec ille Florentia XVI. Kal. Jun. MDLXV. At enim quid

Timeat (*a*) pudor (*b*). Sermonis elegantia (*c*),"

Fa-

quid in tanta opinionum varietate ſentiendum? *Eſt modus in rebus*, ut cum Horatio loquar, *ſunt certi denique fines, quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum*. Satyr. L. I. ſat. I. v. CVI.

(*a*) *Syre tibi timui male*. Terent. Heautont. Act. III. ſc. II. v. XX. Videnda vetus verſio eſt ab erudito homine Italice facta, ſuppreſſoque nomine Venetiis evulgata, quae Gagliardium fortaſſe impulit ad eam reddendam correctiorem, accuratioremque. *Magis etiam reprehendendi qui ſe timere ſimularunt*. Cicer. Epiſt. famil. L. I. ep. V. *De republica valdè timeo*. Epiſt. ad Att. L. VII. ep. VI. Timere Terentiana ſignificatione ad rem aliquam refertur, de qua cum amicis ſermo eſt, & tunc vereri ſignificat ne quid mali alicui accidat. Sic Quintilianus *religioſus*, ait, *judex libenter eum audit, quem juſtitiae ſuae minime timet*, ideſt ne ſuae juſtitiae inſidietur. *Inſtit. Orat. L. IV. c.* I.

(*b*) Pro verecundia, ut eſt apud Terentium: *Patris pudor*. Andr. Act. I. ſc. V. v. XXVIII. *Pudore, & liberalitate liberos retinere ſatius eſſe credo, quam metu*. Adelph. Act. I. ſc. I. v. XXXII. Obſervanda Germanica verſio, quae Joanne Epiſcopio prodiit auctore. A Germanis dicitur *ſcham*, & apud Latinos aliquando differt a pudicitia. Revera *non pudor*, inquit Tullius, *non pudicitia, non pietas revocaret*. Orat. or. pro Catilin. n. XXIV.

(*c*) Facundia ſcilicet, ſeu venuſtas ſermonis, quam *Atticam* vocat Terentius. *Eunuch. Act V. ſc.* IX. *v.* LXIV. De eloquentia quum ſermo eſt dicitur elegans qui electis verbis, & puriori utitur conſtructione, diſertuſque eſt, atque elegans in dicendo. Vid. *Gell. Noct. Attic. L.* XIII. c. XX. Elegantia vero virtus in dictione eſt, quae efficit ut unumquodque pure, aperteque dici videatur; ſive haec ad latinitatem reducatur, ſive ad explanationem, quarum prima purum

 con-

Facetiis (*a*), lepore (*b*), amoenitatibus (*c*)

Co-

conſervat ſermonem, atque ab omni vitio remotum, altera apertam reddit, ac dilucidam orationem. Vid. *Cicer. Rhet. ad Herenn. L. IV. n.* VI.

(*a*) Summam licet Terentii artem multorum comicorum facetiis poſtponendam autumet Scaliger *Poetic. L.* III. *c.* XCVII. certum tamen quod *non veteris aevi ſpectat uſum, ſed ſui ſapiens poeta, & tempori ſervit libens popularis artifex*. Tucc. Prolog. Chr. jud. v. XVI. Ille vero facetus dicitur, qui facit verbis quod vult, feſtive dum loquitur. Propterea Thraſoni ſimul, & Parmenoni dixit Gnatho ridens: *Ha, ha, hae .... facete, lepide, laute, nihil ſupra*. Eunuch. Act. III. ſc. I. v. XXXVI. Inſuper Syrus de bacchide quum differit Chremeti ſubjungit: *Eſt faceta* (feſtivo ſcilicet, urbano, jucundoque ſermone praedita) *haec meretrix*. Heautont. Act. III. ſc. II. v. XI. Sed *duplex omnium* (inquit Cicero *Offic. L. I. n.* X.) *eſt jocandi genus; unum illiberale, petulans, flagitioſum, obſcoenum; alterum elegans, urbanum, ingenioſum, facetum*. Vt autem ſapientibus, atque eruditis viris voluptatem potius afferret, quam riſum a plebeiis extorqueret, rem duplici condiebat utilitate Terentius, imitatione nimirum vitae humanae, faceriiſque lepore interſperſis. Hinc patet Giacomellium ipſum facetiarum nomine ſalſas, argutaſque intellexiſſe ſententias, quae etſi riſum excitare poſſunt, quaedam tamen ſunt deliciae ſermonis, ſeu potius urbana dicta ſine ſcurrilitate.

(*b*) Venuſtate. Vid. *Fabric. Elegant. ex Terent. Decimator. Medull. Terent. Lepore, ac venuſtate affluens*. Cicer. De orat. L. I. n. XI. *Floruit acumine ingenii, tum admirabili quodam lepore dicendi*. Quaeſt. academ. L. IV. c. VI.

(*c*) *Amanti amoenitas malo eſt, nobis lucro eſt*. Plaut. Menaechm. Act. II. ſc. III. v. VI. *Quem enim* (ita de Terentio loquitur Lindenbruchius) *pueri amavimus*,

ejuſ-

Comoediam hanc probe noſtis, longiſſime
Latinis anteſtare cunctis fabulis (*a*).
Adeſte (*b*) cum frequentia, hanc induſtriam
Studiumque noſtrum ut excitetis. Interim
Valete (*c*), noſque, & noſtra amare pergite.

ejuſdem amoenitate, ac Venere vel hac quoque aetate nos capi non erubeſcimus. Prael. in Terent. Revera amoenitatis nomine id omne intellectum volumus, quod eam producit jucunditatem, quae ex amoenis, ſuavibuſque rebus percipitur. Ita *ſtudiorum*, dixit Plinius, *amoenitates quaerimus*. Nat. hiſt. praef.

(*a*) Facetas, lepidas, amoenaſque comoedias Menander elucubravit Greco Thaidis, & Colacis titulo inſignitas, è quibus non modo deſumpſerat jam Militem glorioſum Plautus, ſed poſtea decerpſit etiam Eunuchum Terentius. Sed quum Θαΐσ, & κόλαξ a dignitate Graeca, venuſtateque non abhorreant, ac per Menandrum ſale Attico repleantur, plurimis Latinae elegantiae floſculis callide collectis, atque ſuam in rem ingenioſe traductis ita fabulam ornavit ipſe Terentius, ea ut reliquis venuſtate anteſtare potiſſimum videatur. Haec vero Eunuchi fabula ob rerum fortaſſe varietatem in ea interſperſam majores exegiſſe viſa eſt venuſtatis flores, quos ii maxime collegerunt, quorum in animos illapſa fuit bene ſcribendi cupiditas.

(*b*) *Adeſte quaeſo* dixit Terentius. *Phorm. Act. II. ſc.* III. *v.* III. Quod quidem favere ſignificat, vel praeſidio eſſe; ſiquidem quod olim expetitum fuerat ab Terentio, id Giacomellius academicorum quoque Latinorom nomine expetere debuit.

(*c*) *Valeat*, *vivat*. Terent. Andr. Act. V. ſc. III. v. XVIII. *Vos valete*, *&* *plaudite*. Eunuch. Act. V. ſc. IX. v. LXIV. *Valet*, *atque vivit*. Heautont. Act. III. ſc. I. v. XXI. *Verba ſunt Calliopii* (ſic Eugraphius *Comm. in Terent.*

I II. *Andr.*

Digitized by Google

Andr.) *ejus recitatoris*, *qui quum fabulam terminaſſet elevabat aulaeum ſcenae*, *&* *alloquebatur populum*: *Vos valete*, *vos plaudite*. Inſuper *vale* (ſic Philotis, ſeu Philotium) *&* *tu* (reſpondet Parmeno) *bene vale*, *Philotium*. Hecyr. Act. I. ſc. II. v. CXXII. Vid. *Dolet*. *Obſerv*: *Latin*. *ſerm*. *in Andr*. *&* *Eunuch*. *Terent*. Quando autem decedenti alicui valedicere quis vult, ſupremum, aeternumque *vale* dicere ſolet. Sic Giacomellius noſter elegiaca dum olim confeciſſet carmina in amicum è vita migrantem, *ſupremumque vale*, inquit, *properabam dicere amico*, *hei mihi*, *qui nunquam conſpiciendus erat*, & infra *meque*, ſubjungit, *manu movens jam deficiente prebenſum ſpectans*, *aeternum*, *dixit*, *amice vale*. Sed bene valentibus hominibus, quibuſque vitae auguratur. ac valetudinis diuturnitas, longaevum, & conſtans *vale* optari ſemper conſuevit, veluti aliqua abſoluta epiſtola quovis tempore videmus praeſtitum ab ſcriptoribus. Ejuſmodi formula vetuſtate percelebris voce quondam penes orientales populos haudquaquam exprimebatur, ſed geſtu, manibus praeſertim inter ſeſe invicem complicatis.

FINIS VERSICVLORVM
IN EVNVCHVM ET HECYRAM.

HEAV-

HEAVTONTIMO-RVMENOS.



TITVLVS.

ACTA . LVDIS . MEGALENSIBVS . L. CORNELIO . LENTVLO . ET L. VALERIO . FLACCO . AED. CVR. EGERVNT . L. AMBIVIVS TVRPIO . ET . L. ATTILIVS . PRAENESTINVS . MODOS . FECIT FLACCVS . CLAVDI . GRAECA . EST . MENANDRV . ACTA PRIMVM . TIBIS . IMPARIBVS . DEINDE . DVABVS . DEXTRIS ACTA . ETIAM . III. M. IVVENTIO . ET . T. SEMPRONIO . COSS. AN. AB. V. C. DXCI. ANTE . XPTVM . NATVM . CLXI. ACTA DENVO . ROMAE . AB . ACADEMICIS . LATINIS . IN . THEATRO COLLEGI . SALVIATI . LVDIS . BACCHANAL. AN. MDCCXXXVIII. PLACVIT.

Digitized by Google

EX HEAVTONTIMORVMENO.

Humani nihil a me alienum puto.
Act. I. ſc. I. v. XXV.

Non ſit ſine periculo facinus magnum.
Act. II. ſc. III. v. LXXIII.

Itan' comparatam eſſe hominum naturam omnium,
Aliena ut melius videant, & dijudicent,
Quam ſua?
Act. III. ſc. I. v. XCVII.

Non licet hominem eſſe ſaepe ita ut vult.
Act. IV. ſc. I. v. LIII.

Nil tam difficile eſt, quin quaerendo inveſtigari poſſit.
Act. IV. ſc. I. v. LXII.

Jus ſummum ſaepe ſumma eſt malitia.
Act. IV. ſc. IV. v. XLVIII.



LXXI.

MATANIVS FERNERIO SVO S.

HOLMIAM.

JAmpridem in votis habueram, amice ſuaviſſime, epiſtolis compellare te meis, ut elicerem tuas. Neque putes velim tui factum oblivione ut in hanc uſque diem ſcriptiunculam quantulamcumque meam diſtulerim. Nae video quanta vel apud amicos toto penè dixerim diviſos orbe ſit vis verae, ſolidaeque virtutis. Superiori aeſtate de te, rebuſque tuis una cum Murrayo anatomico Vpſalienſi haud incelebri, ac Plommenfeldtio politioris ingenii equite ſum loquutus. Quos ut ego vidi tanta ſum voluptate perfuſus, tuae ut acerbitatem abſentiae ſumma conſolatione lenirem. Quanta vero in eo colloquio mihi jucundiſſimo ſim laetitia affectus, facilius eſt tibi exiſtimare, quam mihi ſcribere. Optaveram planè, neque ob morae brevitatem impetrare potui, ut vividiore frui me diutius ſinerent tui memoria, qua mihi charius, aut antiquius eſſe nihil poteſt. Nam quantum tui ex Etruria diſcedentis, atque in Sueciam redeuntis cepi dolorem, quanta uror abſens moleſtia non facile dixerim. Gaudeo autem, vereque gaudeo quod ex Italia incolumem te ad tuos recepiſti. Doleo tamen vehementer poſtremam ad te ſcriptam epiſtolam, atque alteram ad amicum Rottbollium ſplendidum Haffnienſis academiae lumen periiſſe. Periiſſe namque, & vel a freto Danico, vel Baltico mare utraſque ſuſpicor abſorptas, quibus nullum adhuc

ref

reſponſum acceperim. Nunc alacritatem quum foveo, ſtudiumque ſcribendi aſſiduis diſtineor occupationibus, quae in cauſſa ſunt ut huic vix tantulae epiſtolae perſcribendae tempus habeam, quod quidem fortuito tumultuariae quaedam cogitationes e ſtudiis ereptum ſeverioribus amicitiae tuae conſecrarunt. Ridebis fortaſſe, ſive potius irridebis, opinor, ſuſcepti conſilii rationem, ſi ut eſt aperiam. Hoc ſi roges, ſincere tecum agam, & veniam dabis. Sed prius excute quaeſo prudentiam tuam, & vide quantum amicorum nugis tribuendum. Hoc mane aeſtivis ardoribus aeſtuans vehementius, animum aliquantiſper ab ſtudiis abducere debui, ut per umbroſa urbis loca deambulans auram captarem, quantum potui, frigidiuſculam. Perlibenter abii, ac voti compos effectus ibam forte via domum ut remigrarem, jejunumque ſtomachum prandio reficerem, dum egomet coepi mecum, ut fit ubi cogitabundum quid ſtudioſorum animo haeret, rem quampiam litterariam ex alia cogitare, & omnia in aptiorem ſententiam. Quid opus eſt verbis? Incogitans perambulo, praetereo domum neſcio quid circumſpectans; longe jam abieram. Stupenti ſimilis conſiſto parumper praeſentiens me praeteriiſſe; redeo rurſum, novae novas excipiunt cogitationes. Menti repente obverſantur abſentes amici, maximeque ſuaviſſima quondam tecum inſtituta colloquia Piſtorii quum eſſes. Perjucunda tui permotus recordatione morae impatiens aedes ingredior, calamum ſumo, ſcribo epiſtolam. Scribo autem domeſticis obſtrepentibus, qui me, ut ſolent, ardenter ſollicitant accubitum ut ire velim. En vides quod paucis te volo, atque adeo animum ſedulo adverte ad id, cujus potiſſimum

gra-

gratia ad te ſcribere libentius inſtitui; quum alioquin temporis premar anguſtiis, & pauculis occupationibus hac ipſa die exhauriendis. Verſiculos ad te mitto leporis, & amoenitatis plenos perdiligenter exaratos a Giacomellio, quem quum eſſes pervagatus Italiam noſtram te Romae inveniſſe fama praeſtantem ſingulari penes doctiores homines meminiſti: Nondum enim vitam cum morte commutaverat. Eos vero perfecerat quum per navos juvenes, & induſtrios Terentiana daretur populo fabula, quae Heautontimorumenos appellatur. Lege quaeſo, & vide Latinam ſcribendi rationem, quae apud emunctae naris homines in Italia viget. Latinis ille ſcriptoribus utebatur familiariſſime, ut dicere quae vellet non modo ad eorum normam ſcriberet, ſed locutiones ipſas è Latino fonte parce detortas fingeret ad illorum ſimilitudinem. Verum temporis premor anguſtiis, mi Ferneri, ac nolens impedior quominus ſcriptionem protraham. Vtinam producere longius poſſem! Servulus clamitat, inſtat, dicit muſſitare filios, expectare uxorem, ad quam illico ſi non advoles male profecto ages. Vide igitur qui fieri poſſit ut vel ſubciſivum tempuſculum voluntati meae conceſſum putem. Vnde manum de tabula. Nolim tamen locorum intervallo, atque celeritate ſcribendi quicquam de mutua in nos benevolentia detractum. Sed heus tu unum praeterieram, quod dictum oportuit. Nam gratulor te ex academia Vpſalienſi, ubi in Celſii locum ſuffectus aſtronomiam docueras, maritimarum rerum regimini regio Guſtavi Adolphi juſſu honorifice deſtinatum. Ejuſmodi honos cum voluptati tuae famulatur, tum video quantum ad rem conferat publicam, cujus intereſt viros per

celebres , quorum doctrinae fama magis magiſque percrebuit , utilioribus aliorum commodis inſervire . Sincero , crede mihi , perfundor gaudio . Neque enim ego , ut quidam , invideo aliis bona , quibus ipſe careo , ſed potius haud leve ſolatium experior , voluptatemque mirificam , ſi ea , quae denegantur mihi , ſupereſſe aliis ſentiam . Vrgent domeſtici . Si moror impranſus ero . Hem ! Jocus parum lepidus ! Vacuus enim mihi venter crepitat . Tu , ſi me amas , hac , qualiſcumque ſit , epiſtola ad eam rem maxime utere , cujus gratia ad te mittitur . Jam ſatis . Plura alias . Eja tu vale , & quando litteris me inviſeris ſcias gratiſſimum fore . Tu velim tuam , & amicorum valetudinem cures . Nos bene valemus , ac tibi quotquot ſumus proſpera omnia precamur . Interim faxit Deus ut tu ſcientiarum bono natus ſoſpes ſerveris , atque ſuperſtes . Iterum vale .

PISTORI KAL. QVINTIL. CIↃ. IↃ. CC. LXXVI.

VER-

Digitized by Google

VERSICVLI

QVIBVS POPVLO EDICTVM EST DE PSEVDOLI PLAVTINI ET HEAVTONTIMORVMENI FABVLIS AGENDIS.

LAtinus Grex (*a*) Patronis (*b*) optimis ſuis
Salutem mittit. Quae vos velle plurimum
Exiſtimamus, ea nos maxime decet
Expetere; & eſſe ſtudia nobis omnia
Studio de veſtro oportet, quorum copia
Id poſſumus, quod nunquam noſtra inopia
Potuiſſet. Binas igitur fabulas damus
Veſtrae in ſpem gratiae (*c*). Si cui veſtrum joci (*d*)

Ni-

(*a*) Vid. *Giacomell. Verſic. in Eunuch. v.* III.

(*b*) *Huic ipſi* (ſunt Thaidis verba) *opus patrono eſt*. Terent. Eunuch. Act. IV. ſc. VI. v. XXXII. Vid. *Giacomell. Verſic. in Phorm. v.* XIV.

(*c*) *Gratiam .... inibo*. Terent. Eunuch. Act. III. ſc. V. v. VIII.

(*d*) *Ludum, jocumque dices*. Terent. Eunuch. Act. II. ſc. III. v. VII. Hinc Ovidius *ſcena*, dixit, *ſonat, indique vocant, ſpectate, Quirites*. Faſt. L. IV. v. CLXXXV. Sic Phaedrus *fictis*, ait, *jocari nos meminerit fabulis* Fabul.

K II. Pro-

Nimio plus placeant; nae erit, illi plus ſatis
Faceiarum Pſeudolus (*a*) quod oggerat (*b*).
Iis conſultum oportuit etiam, qui amant
Severiores ludum (*c*) temperantius:

Id

Prolog. L. I. v. VII. eo quod fabula vocetur ab ipſo *narrantis jocus*. Prolog. L. II. v. v. *Calumniamque fictis eluſit jocis*. Prolog. L. III. v. XXXVII. *Et hoc jocorum* (ſcilicet fabularum) *legere faſtidis genus*. L. IV. fab. VI. v. II. Quoniam vero ſolet uluvenire ut *joci*, ut cum Giacomellio loquar, *nimio plus placeant*, omneſque amatoriae deliciae, lepores, ineptiaeque plus aequo delectent, meminiſſe oportet quod *omnes delicias* (ita S. Hieronymus) *& lepores, & riſu dignas urbanitates. & caeteras ineptias amatorum in comoediis erubeſcimus*. Epiſt. ep. ad Nepotian. de vit. cler.

(*a*) Titulus unius eſt ex Plautinis comoediis, cujus argumentum ex Simone Charpentario Parriſio petendum. Servus deſignatur mendax, doloſus, fraudolentus fabulam exhibens, *ubi lepos, joci, riſus* (ita Plautus) *vinum, ebrietas decent, gratiae, decor, hilaritas, atque delectatio*. Prolog. Pſeudol. v. XX. Tullius de Naevio, Plautoque loquutus *quam gaudebat*, inquit, *bello ſuo Punico Naevius! quam Truculento Plautus! quam Pſeudolo!* De ſenect. Pſeudolus vero poſt Terentianas omnes fabulas actus Romae videtur ab Latinis academicis.

(*b*) *Ad ſatietatem uſque oggerit*. Plaut. Ciſtell. Act. I. ſc. i. v. LXXI.

(*c*) Vox ludi quum a Terentio adhibeatur nonnunquam pro loco, ſive ſchola, ubi ars muſica tradi praecipue conſueverat, nil mirum ſi Getam ipſe dicentem inducat quod *reſtabat aliud nihil, niſi oculos paſcere, ſectari, in ludum ducere, & reducere*. Phorm. Act. I. ſc. II. v. XXXVI. Vid. *Cam. Adnot. in Terent. ad uſ. Delph. Minell. not. in Phorm.*

Digitized by Google

Phorm. Sed vox quoque ipſa, uti uſurpatam videmus a Giacomellio, ad ludos refertur cumprimis ſcenicos, quorum nomine comoediam, tragoediam, ſatyram, mimum, atque his ſimilia veteres deſignabant, & multiplici ornabant decoratione. Vid. *Winckelmann. Monum. antich. inedit. T. II. p.* IV. *p.* CCLIV. Hinc dabatur, ut verbis utar Terentii *poteſtas condecorandi ludos ſcenicos*. Prolog. Hecyr. v. XLV. ideſt comoedias, quae in ſcenis aguntur; adeoque intelligitur quomodo veteres ipſi, juxta inſcriptionem, quam relatam video a Reineſio *Inſcr. Cl. IV.*

THEATRVM . ET . PROSCENIVM . REFECERE
LVDIS . SCENICIS . BIDVO . DEDICAR . D. S. P.

Eorum primos an. V. C. CCCXCII. a Romanis fuiſſe novimus celebratos. *Herodian. Var. L.* III. *c.* VIII. Sed triennio ante quum C. Sulpitio Petico, & C. Licinio Stolone CSS. peſtilentia graſſari teterrima viſa fuerit, & quum *vis morbi* (ut auctor eſt Livius. *Hiſt. Rom. L. VII. c.* III.) *nec humanis conſiliis, nec ope divina levaretur, victis ſuperſtitione animis ludi quoque ſcenici, nova res bellicoſo populo... inter alia caeleſtis irae placamina inſtituti ſunt*. Verum & alios pro recuperata alicujus valetudine aliquando inſtitutos lego commemorari. *Pitiſc. Lex. antiqu. Roman. v. lud.* Ejus generis ludi ſunt matutini, qui in hac continentur inſcriptione:

EVTYCHVS . AVG. L. MEDICVS
LVDI . MATVTINI .

Fuerunt ſanè apud Graecos ii percelebres inter caeteros, qui Catholicam quum promulgaret fidem S. Paullus acti fuerunt ab infidelibus hominibus in Epheſiorum theatro,

in

in quod ex Epheſiis bene credentibus impetum feciſſe aliquos legimus ut Gajum , & Ariſtarchum Macedones , eoſque comites Paulli raperent. *Act. Apoſt. C. XIX v.* xxix. Scenici vero omnes ludi , qui & agones , muſici , & Dionyſiaci dicebantur *Fabric. de lud. ſcen.* & ad comoediarum recitationem maxime pertinebant, praeter Apollinares in Apollinis memoriam fieri ſolitos, vel megalenſium nomen ſortiti ſunt, quod magnis diis, veluti qui in honorem deae Cybeles fuere peracti , conſecrarentur , quibus non Andria modo Terentii acta eſt , ſed praeter Eunuchum Heautontimorumenos etiam, & Hecyra ; vel funebrium , ad cohibendum nempè populum dum pompa funebris patricio alicui viro publice decreta celebraretur, atque his acta Adelphorum eſt fabula; vel tandem Romanorum, quos plebejos vocarunt . pro ſalute , aut incolumitate plebis inſtitutorum , quo maxime tempore Phormionem actum non ignoramus. At in his ludis neſcio , uti ajebat Lactantius *De ver. cult. L. VI. c* xx. confirmavitque poſtea S. Auguſtinus *De civit. Dei L. I. c.* xxxii. *L. II c.* viii. an eſſet corruptela vitioſior, quam quidem abiicere, jure ne, an injuria cenſuerint alii , recentiorum prudentiores conati ſunt . Romanos vero ludos , qui & circenſes, eoſque non a Tarquinio , ut fama eſt, ſed a Romulo inventos , quemadmodum cenſuit Averanius *Diſſert. in Cicer. Diſſ.* xviii. aedilium curulium cura nobilitatos, atque religione Chriſtiana coercitos excepere bacchanales è Graecia jamdiu recepti ; ac ne homines redderent nequiores , mox daturos progeniem vitioſiorem, ſancitis inde legibus factum ut imperitorum hominum compeſceretur improbitas . At ſcenica oblectamenta, quae modeſtiam redolent , atque emollire videntur mores , nec ſinunt eſſe feros, in ſui ſtuporem rapiunt adſtantes . veluti S. Joanni Chryſoſtomo adhuc juveni olim accidiſſe ipſe de ſe teſtatur περὶ τὰς ἐν τῇ σκηνῇ τέρψεις ἐπτοημένον . *De Sacerdot. L. I. c.* 1. Bene vero moratos , ſtudioſoſque juvenes non ludicrum , ſed honeſtum decet ſpectaculum , cujus jucunditate demulceatur animus, ut feſtivo , lepidoque oblectamento lenitas libera-

Id eſt, proferre in Scenam (*a*) cur decrevimus

Heau-

beralibus miſceatur jocis, facetiiſque, & ſit *genus hoc delectationis* (ita de comoediis loquitur Valerius Maximus *Dict. fact. memor. L. XI c.* IV.) Italica ſeveritate temperatum .

(*a*) In ſcenam proferre idem apud veteres erat ac fabulam in tentorio, domicilio, tabernaculo agere *Salmas . De ſcen.* quum σκηνὴν Graeci locum vocarent temporarium, ſcenae verſatilis nomine ab Latinis diſtinctum referente Turnebo *Adverſ. L. V. c.* IV. eumque partim frondibus, culmiſque exornatum, partim tabulis, pannis, & pellibus coopertum, ubi ſpecie orationum, & carminum refert Tacitus *Annal. L. XIV. c.* XX. proceres haud ſemel pollutos eſſe Romanos . *Calliach. De lud. ſcen. C. I. n.* II. Sed ſcena quaelibet, in qua juxta Donatum *duae arae poni ſolebant* ; *dextera liberi*, *ſiniſtra ejus dei , cui ludi fiebant* Fragm. De comoed. ex MSS biblioth. reg. Parmens. in meliorem, proprioremque ſtructuram verſa eſt tractu temporis, ut multis, diverſiſque potuiſſet uſibus inſervire. *Vitruv. Architect. L. V. c.* VIII. Fabulas vero proferebant olim in ſcenam qui duces erant theatralium rerum *Bulenger. De theatr.* qualis prae caeteris Percennius ille fuit, cujus ipſe meminit Tacitus *Annal. L. I. c* XVI. atque hi patroni quoque, vel moderatores operae ab ſcena appellantur in inſcriptione Spoletana, quam retulit Lipſius *Epiſt. quaeſt. ep.* I.

M. SEPTIMIO . M. F. HOR. SEPTIMIANO . EQVO . PVBL.
IIII. VIR . I. D. PRAEF. FABR. ROMAE . DEC. IIII.
SCAMILLAR. OPERAE . VETERES . A . SCAENA . PATRONO
OB . MERITA . EIVS L. D. D. D.

Pro-

Heautontimorumenon (*a*) Terentii.

Si

Procuratores quoque a ſcena vocati leguntur penes Gruterum. *Theſaur inſcript. p.* CCCXXXI.

L. SVRREDI . PH. L. F. CLV. FELICIS . PROCVRATORI
AB . SCAEN. THEAT. IMP. CAESAR. DOMITIAN.

Obſervandum in antiquis lapidibus perſaepe legi *ſcaenam*, atque *proſcaenium* cum diphtongo, qua neque oratores, neque grammatici, neque poetae juxta conſuetudinem, uti adnotavit Manutius *Ortograph. rat. v. ſcen.* uſi ſunt, ne ipſo quidem excepto Terentio, ejuſdemque interprete Giacomellio. *Prolog. Adelph. v.* VII. *Phorm. v.* XIX. *Hecyr. I. v.* VI. Sit inſtar omnium, praeter relatas, ſequens inſcriptio Vulſiniis in hortulo quodam, ſeu ad lacum Vulſinium in amphitheatro reperta, quam Victorius Faernio dedit, quamque varietate aliqua (ortographica dumtaxat, ut cum grammaticis loquar) lego expoſitam a Muratorio. *Nov. theſaur. veter. inſcript. T. I. p.* CDLXXIV.

L. COMINIVS . L. F. AN. C. CANVLEIVS . L. F. T.
TVLLIVS . T. F. KANVS . L. HIRRIVS . L. F.
LATINVS . IIII. VIR . THEATRVM . ET . PROSCAENIVM
DE . SVA . PECVNIA . FACIVNDVM . COERAVERVNT .

(*a*) Scilicet hominem ſe ipſum punientem, vel excruciantem ex ἑαυτὸν, & τιμωρέω. Vid. *Eugraph. Lindembrog. Aſcenſ. Calphurn. Antesign. Taurap. Comm. in Terent.* Revera ἑαυτοντιμωρούμενον, de quo Horatius *Satyr. L. I. ſat.* II. *v.* XX. elucubratum etiam a Menandro refert

Sto-

Stobaeus *Lex. n.* x. & poenae genus *τιμωρία* dictum declarat Gellius. *Noct. Attic. L. VI. c.* xiv. Etsi fabulam dimidiatam vocat Scaliger *Poet. L. VI. c.* iii. duplicem potius ex ſimplici factam declarat Terentius *Prolog. Heautont. v.* vi. quum in Graeca Menandri unus fuerit ſenex, filius unicus, una amica, ſervus unus, qui omnes a Terentio ipſo conduplicati venuſtiorem ipſam efficiunt fabulam. Ejus vero dimidium veſpere actum, duos nempè priores actus, ac noctem tranſactam megalenſibus ludis, dimidiumque alterum, nimirum tres actus reliquos, paullo ante ſolis ortum repraeſentatos ex verbis eruitur Terentiani Chremetis Menedemo nuntiantis ex Aſia rediiſſe Cliniam filium. In haec etenim verba prorumpit: *Luciſcit* (pro *luceſcit*, ut eſt in Cod. Minelliano) *hoc jam ceſſo pultare oſtium vicini*? Heautont. Act. iI. ſc. i. v. i. Sed Cod. Argentoratenſis conferendus quoque cum Minelliano ob ſignificationis diverſitatem, quique plura cupit Petrarchae adnotationes conferat in Terentium, & argumenta Codd. MSS. bibliothecae Caeſareae, Londinenſis, & Oxonienſis. Vid. *Lambec. Biblioth. T. II. p.* dccccxxxvii. *Fabric. Biblioth. Latin. T. I. L. I. c.* iI. Referta ceterum comoedia eſt ſenilibus praeceptis in adoleſcentium utilitatem, neque amoenitatibus caret elegantioribus. Nam Chremes ſenex Soſtratae matronae uxori jam gravidae imperat ut puellam ſi pareret eam interficiat. Puellam enixa, Antiphilam nomine Clitiphonis ſororem, Philterae Corinthiae una cum annulo, quem de digito detraxerat ſuo, ſtatim tradidit exponendam, eamque adoleſcens Clinia Menedemi ſenis filius perdite amare coepit. At quum Philtera demortua eſſet, Clinia ex Aſia redux efficit ut dum Clitipho meretricem Bacchidem, cujus erat amore irretitus, ſeu potius aliam ea dimiſſa ſequitur, ſibi, renuente licet Chremete, uxor tradatur Antiphila. Sed ejus argumenti uberior, ac luculentior petenda deſcriptio cum ex Apollinari, tum Mureto, quibus praeeuntibus facilius eſt Terentianas fabulas intelligere.

Si, quam frequentem operam (*a*) dediſtis antea,
Crebri aſſidebitis (*b*); noſtram hanç induſtriam (*c*)
Nuſquam locatam melius arbitrabimur.
Bene valete (*d*), & nos tueri pergite.

(*a*) Vid. *Giacomell. Verſic. in Andr. v.* x.

(*b*) *Prae aegritudine aſſido* dicebat Chremeti ſeni Menedemus ſenior. *Terent. Heautont. Act. I. ſc.* I. *v.* LXXI. Daceria vero vertit *pour mon chagrin je prens un ſiege*. Sed Plautinus Lydus *in ſella*, dixerat, *apud magiſtrum aſſideres*. Bacchid. Act. III. ſc. III. v. XXVIII. *Fabri ferrarii* (ita Charmides) *qui apud carbones aſſident*. Rudent. Act. II. ſc. VI. v. XLVIII.

(*c*) *Hanc induſtriam* (dixerat Giacomellius) *ſtudiumque noſtrum ut excitetis*. Verſic. in Eunuch. v. XII. Voce ipſa multoties utitur ipſemet Terentius. Ait enim: *Aequanimitas ad ſcribendum augeat induſtriam*. Prolog. Adelph. v. XXV. *Si erit adjutrix noſtrae induſtriae*. Prolog. Hecyr. v. XXXII.

(*d*) Vid. *Giacomell. Verſic. in Eunuch. v.* XIV.

FINIS VERSICVLORVM
IN PSEVDOLVM PLAVTINVM
ET HEAVTONTIMORVMENON.

ADEL-

Digitized by Google

ADELPHI.



TITVLVS.

ACTA . LVDIS . FVNEBRIBVS . L. AEMILI . PAVLLI . Q. FABIO MAXIMO . P. CORNELIO . AFRICANO . AED. CVR. EGERE . L. ATTILIVS . PRAENESTINVS . ET . MINVTIVS . PROTIMVS MODOS . FECIT . FLACCVS . CLAVDI . F. TIBIS . SARRANIS FACTA . E . GRAECA . MENANDRV . EDITA . L. ANICIO GALLO . ET . M. . CORNELIO . CETHEGO . COSS. AN. AB . V. C. DXCV. ANTE . XPTVM . NATVM . CLXVIII. ACTA DENVO . ROMAE . AB . ACADEMICIS . LATINIS . LVDIS BACCHANALIBVS . AN. MDCCXXXVI. PLACVIT . ACTA ITERVM . IN . THEATRO . COLLEGI . SALVIATI . MENSE IVNIO . AN. MDCCXXXVII.

PLACITA . EST .

Digitized by Google


EX ADELPHIS.

Homine imperito nunquam quidquam injuſtius.
Act. I. ſc. II. v. XVIII.

Iſtuc eſt ſapere, non quod ante pedes modo eſt
Videre, ſed etiam illa, quae futura ſunt.
Act. III. ſc. III. v. XXXIII.

Inſpicere, tamquam in ſpeculum, in vitas hominum
Jubeo, atque ex aliis ſumere exemplum ſibi.
Act. III. ſc. III. v. LXII.

Nunquam ita quiſquam bene ſubducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, aetas, uſus ſemper aliquid apportet novi,
Aliquid moneat.
Act. V. ſc. IV. v. I.



Digitized by Google

AD EGNATIVM SOMISIVM EPISTOLA ANTONI MATANI.

TAVRINVM.

Abs te tandiu nihil litterarum. Diu certe eſt, vir humaniſſime, quod ne ipſe quidem ullas ad te dedi, non jam oblivione amicitiae noſtrae, ſed partim litterariis, quibus premor, occupationibus, partim aliarum rerum curis, quae otium optare non ſinunt. Siccine, inquies, amicum negligis? Attamen nemo eſt omnium, ad quem libentius, quam ad te ſcribam, neque ullius litteris aeque delector, ac tuis. Perſaepe unus, aut alter elabitur dies, unum ex utilioribus ſtudiis excipit aliud, ſcribendi tandem epiſtolas occaſio praetervolat. Quod quidem ipſe fateberis, qui regiae ſcilicet ut valetudini proſpicias optimi principis aſſiduo munere fungeris, non quod liberum omnino ſit, ſed quotidianis aulicorum moribus conſentaneum. Huc accedit quod modo privatis, modo publicis diſtineris Taurinenſis academiae negociis. Dictum puta. Quid plura? Aequa, ut video, ſaepe eſt inter amicos querimonia, & culpa promiſcua, licet ſaepius involuntaria. Nec temere eſt ſi dolemus amice invicem abſque injuria, & amice ſemper iraſcimur, planè conſcii quod amantium irae amoris redintegratio eſt. Haec petenda viciſſim, dandaque venia. Nugatrix garrulitas imperitae relinquenda plebeculae, quae officium quodlibet urbanitatis ad ſomnia ſua detorquens miſere, cuncta ad injuriam interpretatur. Id tamen factum duriter, & illiberaliter. Nudiuſ-

diuſtertius Faſſinio aeſtivis feriis in patriam remigranti hoc negotium dedi, te ut meo nomine juberet ſalvere plurimum, ſcripturus ipſe poſtea epiſtolam quando mihi vacuum fuerit, tibique conſecraturus prologum in Terentii Adelphos, novum illum quidem, & eruditiſſime perſcriptum a Giacomellio. Videbam enim elucubratum tam concinne, tam eleganter, nihil ut eſſet cur me oblati muneris poeniteret. Ego autem propitio inſerviens tempori venio ad ejus prologi ſpecimen, quum remigret animus nunc demum mihi. Noſti profecto, mi Somiſi, qui veterum doctrinam nullis terminis comprehenſam mirifice imitaris, quam difficile propriam Latine ſcribendi rationem (Giacomellium, alioſque pauculos ſi exceperis) Terentianae, Plautinaeque adaequaverint recentiores. Ille vero rationem redditurus prologi, quid hoc ſtudii genus, de veterum fabulis quum loquitur, ad Latinam linguam conferat patefacere prius in animum induxit ſuum. Niſi enim eam pulchre noveris, qui ea agendi forma, quae cuique congruit loco, veritatem reddere poſſis orationis, niſi ipſam redigas ad popularem loquendi conſuetudinem? Prologo neceſſe erat, uti vides, pereleganti, qui ejus fabulae argumentum enuclearet impenſius, quam caeterarum, quippe quae permulta complectitur moribus caſtigandis, & emolliendis idonea. Callidas reapſe complectitur, ac veteratorias induſtrias complurium amantium, qui ſenilem eludunt arrogantiam, atque indomitos, quibus premuntur, animi impetus coercere dum ſimulant, tunc maxime ſerio triumphant, ſuiſque ſeſe ſtudent cupiditatibus mancipare. Nonnulla tamen, amabo te, eveniunt temere, ut ſunt humana, quae

vix

Digitized by Google

vix audeat quis optare. Moralis hujus fabulae ab Terentio confictae ita per Giacomellium invenies expreſſam indolem, duorum ut fratrum ingenium ad filios inde traductum exhibeat planè diſſimile. Hinc utroſque, ut ille innuit, quum vitae ratio, alioquin diverſa, amoribus reddiderit implicitos meretriciis, nuptiae tamen fiunt, quae inſperatae protinus videbantur. Quid vero, multa ut conferam in compendium, tam urbana, quam agreſtis ferat ſenectus aperte niteſcit; quid itidem juventutis ardor, quid turpe denique lenocinium. Et quoniam hominum ſic vita eſt quaſi quum ludas teſſeris, inſpicere propterea decet, tamquam in ſpeculum, in vitas hominum, atque ex aliis ſumere exemplum ſibi. Nuſquam enim ita quiſquam bene ſubducta ratione ad vitam fuit, quin res, aetas, uſus aliquid apportet novi, aliquid moneat. Haec in Terentiana praeſertim fabula, qua multiplices patefiunt animi affectus, qui ſi forte enitantur in juvenes cupiditate aliqua diffluentes, tam ſubito eminus, cominuſque provolare ſolent, ut ſenibus ſpe aliquando dejectis tempus ad propinanda remedia videatur omnino deeſſe. Neque tacitus ullo modo praeterire poſſum, operoſum ſcilicet ſuapte natura argumentum verbis ornare ſcriptorem noſtrum, quam qui maxime; exoptare ſeſe aemulari potius comicorum veterum negligentiam, ſi tamen negligentia eſt, quam recentiorum induſtriam; pandere examuſſim eorum ingenia, qui partes agunt. Perlege quaeſo, & ſi rem, uti eſt, invenies, mea haec dicta memineris. Neque poſtulo id gratiae apponas mihi, qui miſſas perlibenter facio verboſas ejuſmodi urbanitatis delicias. His fruere, & quoniam me res lon-

longius aliquanto provexit, quam exiſtimabam, ſatius eſt quidquid de peculiari animadverſione aliqua dicendum ſupereſt, qualecumque eſt, in aliam epiſtolam differre, quam propediem expecto. Heri me redeuntem è ſuburbana domo, quo me contuleram, exceperunt communium litterae amicorum, quae mihi quam gratae fuerint noli quaerere. Valdè, fateor, earum nonnullis ſum recreatus, ſed tamen aliis repente confectus inſolito moerore, quum renunciatum ſcilicet mihi fuerit Hallerium tuum, meum, immo amicorum omnium ſuperioribus menſibus morbo diuturno decubuiſſe, etſi nunc ex eo propemodum convaleſcit. Ejus certe moleſtum mihi fuerat ſilentium diu protractum; at illi ſilentii cauſſa longè moleſtior. Gaudendum vero invicem, eo quod ad perfectam properet valetudinem, quam dum optamus totius litterati orbis negotium gerimus. Tu interim vale, mi Somiſi. Natali die hanc ſcripſi epiſtolam.

VI. KAL. SEXTIL. MDCCLXXVI. PISTORIO.

PRO-

Digitized by Google

PROLOGVS ADELPHORVM

DICTVS QVVM FABVLA DARETVR POPVLO.

VOluptas eſt, quam pretio quantovis (*a*) pares,
Vbi quod agas procedit ex ſententia (*b*).
Quod nunc cum maxime experiundo (*c*) intelligit
Grex (*d*) noſter; qui laborem ubi vidit ſuum
Placere ſummis ex omni populo viris,

Illu-

(*a*) Dixit Terentius Davi perſonam referens *videtur eſſe quantivis pretj*. Andr. Act. V. ſc. II. v. XV.

(*b*) Simile quid penes Terentium. Nam Cliniae dicentem legimus Syrum: *Iſtuc tibi ex ſententia tua* (hoc eſt ut volebas) *obtigiſſe laetor*. Heautont. Act. IV. ſc. II. v. V.

(*c*) *In experiundo ut repudies*. Terent. Adelph. Act. V. ſc. IV. v. IV. *In experiundo ut eſſem*. Prolog. Hecyr. v. XXXVIII.

(*d*) Vid. *Giacomell. Verſic. in Eunuch.* v. III.

Illudque vulgo laudi ſibi dari, quod in
Scena (*a*) ſic agat, certiſſimum indicium
ut faciat,
Latinum ſe tenere ſermonem probe,
Tam laetus eſt, quam laetus eſt qui maxime.
Tum quod voluntas Principis (*b*) acceſſerit (*c*); opem
Adoleſcentum conatibus tetulerit (*d*); &
Nimio plus, quam ſperare licet, induſtriam
Benigne (*e*) voluerit auctam; id vero ſerio
Triumphant (*f*): Vt det illi praepotens
Deus
Quod optat! ut ſenectute uſque proſpera
Diu-

(*a*) Vid. *Giacomell. Verſic. in Heautont. v.* XIII.

(*b*) Rem declaravi in illuſtratione verſiculorum in Andriam. *v.* I.

(*c*) Legerat Giacomellius Terentium, qui ſic proloquitur: *Voluntas veſtra ſi ad poetam acceſſerit*. Prolog. Phorm. v. XXX. *Se vorrete* (Italice ita reddo) *favorire il poeta*.

(*d*) Pro *tulerit*. Apud Terentium lego: *Huc tetuliſſem pedem*. Andr. Act. IV. ſc. VI. v. XIII.

(*e*) Large, ac liberaliter. *Quod opus ſit benigne praebeatur*. Terent. Hecyr. Act. V. ſc. II. v. II.

(*f*) Hanc dicendi rationem ex Terentio ad verbum, ut inquiunt, propriam fecit Giacomellius, qui Gnathonis cum Parmenone, Thraſoneque colloquium, ut arbitror, ſerio perpendens iiſdem vocibus uſus eſt. *Id vero ſerio triumphat*. Eunuch. Act. III. ſc. I. v. III.

(*a*)

Diutine (*a*) uti liceat publico bono!
Certe quod ad nos attinet, putaverit
Sibi relatam abunde nobis gratiam (*b*),
Tanta eſt magni excelſique animi benignitas (*c*),
Si nos, modo quod agimus (*d*), agamus ſedulo (*e*).
Nam quod nonnemo percontatus eſt, quid hoc
Studii genus ad latinam linguam (*f*) conferat;
Et num, latine noſtrum quod quiſque loquitur,
Perſpectum habeamus, & exploratum; haec qui roget,

Is

(*a*) Scilicet *diu*, & Plautinum affertur exemplum. Nam Daemonis ſententia eſt quod *ille*, *qui conſulte*, *docte*, *atque aſtute cavet*, *diutine uti bene licet parum* (alii legunt *partum*) *bene*. Rudent. Act. IV. ſc. VII. v. XIV.

(*b*) *Inveniam pol hodie* (ſic Terentianus Phaedria Dorum, Pythiam, & Doriam alloquitur) *parem ubi referam gratiam*. Eunuch. Act. IV. ſc. IV. v. LIV.

(*c*) *Ad narrandum argumentum adeſt benignitas*. Plaut. Prolog. Menaehm. v. XVI.

(*d*) *Operamur*. Ea autem ſignificatione dictum legimus *jamdudum aliquid ruri agere arbitror*. Terent. Adelph. Act. III. ſc. III. v. XLVIII.

(*e*) *Fit ſedulo*. Terent. Adelph. Act. III. ſc. III. v. LIX.

(*f*) Niſi quis Latinam linguam pulchre noverit cer-

M II. te

Is vel male ſalſus (*a*) eſt, vel nihil intelligit.
Nam niſi latinam linguam pulcre noveris,
Orationis veritatem (*b*) reddere
Qui poſſis ea, quae cuique congruit loco,
Agendi forma? Nam doctoris hiſtrici (*c*)
Prae-

te diſciplinas ſeveriores, quas illa continet, ignoret neceſſe eſt, atque illas, quibus eſt continendis idonea.

(*a*) Inſulſus, inficetus, inurbanus.

(*b*) Etſi veritas odium parit, ad eam tamen conformandus eſt ſermo in agendis fabulis ut ſpectatores nonnihil proficiant. Proficere vero debent ſi ea bonam in partem accipiant, quae ſibi dicta reipſa putant ad inſtar Socratis, qui *comoediarum* (ut ait Seneca) *publicatos in ſe, & ſpectatos ſales in bonam partem accepit, riſitque non minus, quam quum ab uxore Xantippe immunda aqua perfunderetur*. De conſtant. ſapient. c. x. Atque id ex Aeliano quoque colligitur aſſerente quod σωκράτης μὲν οὖν κωμῳδούμενος ἐγέλα. *Var. hiſt. L. II. c.* XIII.

(*c*) Vocabantur olim doctores hiſtrici, ſeu fabularum doctores qui comoedias quum exeripſiſſent actoribus ad diſcendum offerre ſolebant, uti animadvertit Donatus *Prolegomen. ad Terent.* atque inter eos doctoris hiſtrici nomine Valerius quidam memoratur a Cicerone. *De orator. L.* III. Omnes vero, qui arte aliqua excelluiſſent, doctoris nomen a veteribus impetrabant, quod multis ab hinc annis ad ſcientias traductum eſt. Vnde librarii, ſagittarii, aliarumque artium doctores in inſcriptionibus memorantur. Earum unam Romae in aedibus Vitelleſchiis extantem retulit Sponius. *Miſc. erud. antiqu. Sect. VII. p.* CCLVI.

GN. POMPEIVS . PHRIXVS . DOCTOR . LIBRARIVS
DE . SACRA . VIA . FECIT . SIBI .

Re-

Referre alteram non gravabor :

D. M.
T. FLAVIO . EXPEDITO . DOCTORI . SAGITTAR . FLAVIA
EVPHROSINE . ET . ATTICA . FILIAE . PATRI . B. M.

Hiſtrici vero doctoris nomen ſortiti ſunt quum hiſtrionicis rite peragendis negociis invigilaſſent , atque eorum quilibet imperator hiſtricus vocabatur . *Polluc. Onom. L. IV. c.* XVII. Hinc *audire* (inquit Plautus, qui plura profert , quae uſum inter hiſtriones habent) *jubet vos imperator hiſtricus*, & infra *haec imperata* , *quae ſunt pro imperio hiſtrico* . Prolog. Poenul. v. IV. & XLIV. Sic autem dicti ab antiqua Thuſcorum voce *hiſter* , quae ſaltatorem, ludionemve ſignificabat . Ab Etruſcis enim Romanos vel ea olim recepiſſe theatra , ubi fabulae agerentur , memoriae proditum . *Borghin. Diſc. P. I. p.* CLXXXII. Inſuper hiſtriones erant geſticulatores (ſit verbo venia) quorum ſcenicis ludis ſpectatores delectabantur , qui quum Italia pulſi a Nerone fuerint , quod eorum cauſſa ortae factiones eſſent, ad quas compeſcendas aſſidere theatro milites juſſi ſunt , per Nervam Coccejum reſtituti iterum a Nerva Trajano ſublati dicuntur . Vnde hiſtrici doctores acciti primum ex Etruria, aſſerente Livio *Hiſt. Rom. L. VII. c.* II. an. V. C. CCCLXXXIX. ex eorum cenſu ſeligebantur, qui quum vel comoedi , tragoedique eſſent, vel alii quicumque fabularum actores, artificeſque theatrici, docebant quomodo fieri quis deberet alienae perſonae graphicus ſimulator . Aeſopus ipſe , doctus quum eſſet hiſtrio , infortunia quaedam poeticis repraeſentare ſolebat vocibus , ea praeſertim, de quibus Tullius ejus familiaris, adnotante Mureto *Comm. in Cic. orat. pro Sext.* conqueſtus eſt orationem quum habuiſſet pro P. Sextio , qui utpote tribunus plebis vim omnem tribunatus ſui Lentulo , ac Metello COSS. ad eum patriae reſtituendum fideli prorſus animo

Praecepta nihil moror (*a*) in ſcena : ubi ſit ex memoria

Famo contulit . Res vero ipſa ex Terentio petita declarat magiſtros , ſeu mavis doctores , diſcipuloſque hiſtricos una ſimul de comico moderamine ſermonem iniicere peropportunum . Revera iis verbis *ſi quis* (ſunt dicta Simonis) *magiſtrum cepit ad eam rem* Andr. Act. I. ſc. II. v. XXI. doctorem poeta indicat , quum & ipſe doctor vocetur . Nam dicente Davo *num immemores diſcipuli*? Andr. Act. III. ſc. I. v. XIX. innuitur Davum eſſe doctorem , & Myſim , Lesbiam , Glycerium , Pamphilumque diſcipulos . Tandem inter hiſtriones ſi qui forte poeſim calluerint , & ad doctrinam hiſtrionenſium propius acceſſerint , publico eos honore condecoratos Roma ipſa ſuſpexerat . Inſcriptio heic appoſita , & ex Grutero a Ficoronio *De larv. ſcen. & fig. comic. antiqu. Roman. p.* IX. relata rem demonſtrare videtur :

L. VALERIO . L. F. PVDENTI . HIC . CVM . ESSET
ANNORVM . XIII. ROMAE . CERTAMINE . IOVIS CAPITOLINI
LVSTRO . SEXTO . CLARITATE . INGENI . CORONATVS . EST
INTER . POETAS . LATINOS . OMNIBVS . SENTENTIS
IVDICVM . HVIC . PLEBS . VNIVERSA . HISTRIONENSIVM
STATVAM . AERE . COLLATO . DECREVIT . CVR . R. P.

(*a*) Terentius ipſe *nihil*, dixit, *moror*. Eunuch. Act. I. ſc. II. v. CIV. *Convivas moror* pro *detineo* dixerat etiam in perſona Chremetis . *Heautont. Act. I. ſc.* I. *v.* CXX. atque alibi *non moror* . Phorm. Act. IV. ſc. V. v. VI. At in MSS. Graevii legitur *num moror* ? Dicenti autem Giacomellio *praecepta nihil moror* opitulatus fuerat Plautus ut quum maxime, dum Megadorum induxerat Eunomiae dicen-

Facias omnia, neque animo (*a*) promas è tuo
Cujuſque rei quod fert natura, & poſtulat
Ratio; ut minimum videare putidiuſculus.
Ac ſi quiſquam eſt, latinas qui agere fa-
las
Velit paullo elegantius, niſi redigat
Vocem, geſtumque, orationem denique
Ad popularem loquendi conſuetudinem,
Meo periclo (*b*) magnas nugas (*c*) egerit.
Quod ſi latinae neſcius linguae audeat
Prodire in Scenam, nae is nugas egerit
Multo majores: nam ſi paullulum hae-
reat (*d*),
Haerebit autem nimio ſaepius, vigor

Ora-

centem *clamores*, *imperia .... purpuram nihil moror*. Aulular. Act. II. ſc. I. v. XLVI. *Nil* (Hecuba loquitur apud Senecam) *moror*. Troad. Act. IV. ſc. I. v. CXXXIX.

(*a*) *Ex animo volo*. Terent. Heautont. Act. V. ſc. II. v. VI.

(*b*) *Scitum eſt periculum ex aliis facere*. Terent. Heautont. Act. I. ſc. II. v. XXXVI. Βλέπων (ſic Menander) πεπαίδευμ' ἐισ τὰ τῶν ἄλλων κακὰ.

(*c*) *Nae iſta hercle* (Chremetis eſt dictum Terentiani) *magno jam conatu magnas nugas dixerit*. Heautont. Act. IV. ſc. I. v. VIII. Vid. *Perdic. Latin. dicend. form. ex. Terent. collect. Haynec. Medull. & fruct. Terent.*

(*d*) *Haeret haec res*. Plaut. Trinumm. Act. IV. ſc. II. v. LVIII.

(*a*)

Orationis illico enervabitur,
Aut magno Spectatorum cum faſtidio
Disjecta corrumpetur & ſententia.
Ad argumentum quaeſo nunc operam date:
Quod ſic tenui ſtylo (*a*) narrandum cenſeo:
Nam odi ego ſemper quaſdam oſtentatiunculas
Verborum ad populum, ineptas, venditarias (*b*).
Fuere Athenienſes fratres (*c*) duo ſenes,
Diſſimili qui ingenio, itidem diſſimilia
Studia (*d*) ſequebantur: quorum alter Demea (*e*)

Se-

(*a*) *Argumento.... ac ſtylo*. Terent. Prolog. Andr. v. XI.

(*b*) Venales. Revera vendi conſueviſſe comoedias, & quidquid comicam, & hiſtrionicam praeſetuliſſet oſtentationem ipſe declarat Terentius. Ait enim *avare pretium ſtatui arti meae*. Prolog. Heautont. v. XLVIII, Hecyr. v. XLIX. Plautus quoque vocem ipſam nonnumquam uſurpat, qua uſus eſt Giacomellius, dum *linguam*, inquit, *unam* (Taubmannus pro *unam* legit *quoque*) *etiam venditariam*. Stich. Act. I. ſc. III. v XV.

(*c*) Adelphos appellat Terentius, vocemque mutuatur a Graecis, fabulam ut efficiat jamdiu peractam a Menandro, quo tamen, initio maxime, felicior eſt. Vid. *Malleot. Ricc. Barland. Not. in Terent.*

(*d*) *Is adeo diſſimilis ſtudio eſt*. Terent. Adelph. Act. I. ſc. I. v. XV.

(*e*) Civis Atticus valdè ſenex ἀπὸ τοῦ δήμου antiquis

Senex agreſtis, parcus, truculentus (*a*), tenax
Duorum filiorum, quos ſuſceperat,
Natu minorem Cteſiphonem (*b*) duriter (*c*)
Et arcte in agro cohibitum habebat: Micio (*d*)

Con-

quis moribus homo, ſed indole agreſtis, auſterus, & tenax.

(*a*) Qui vultu alios terret, feramque praeſefert crudelitatem. Hinc in Plautina comoedia, quae *Truculentus* inſcribitur, ſaevo ingenio Callicles quidam inducitur, qui voluptatis inimicus quum eſſet, & *laudator temporis acti*, ut cum Horatio *De art. poetic. v.* CLXXIII. loquar, jam *cenſor* evaſerat, *caſtigatorque minorum*. Verba Demeae ſenis per Terentium relata in rem maxime vertit ſuam Giacomellius noſter. *Ego ille agreſtis* (ſic Demea) *ſaevus, triſtis, parcus, truculentus, tenax duxi uxorem*. Adelph. Act. V. ſc. IV. v. XII. *Ed io per lo contrario* (ita Forteguerrius) *che fui ſempre quel villan, quel crudele, quell' acerbo, quell' avaro, quel fiero, quel tenace, come ſan tutti, preſi moglie*. Non ita in Adelphis Italice reddendis Franciſcus Cortius, & Albertus Lollius. Vid. *Lebenſ. Verſ. Adelph. Germanic.*

(*b*) Adoleſcens hic erat ſuapte natura agreſtior, atque in laborem pronior; voluptates tamen clanculum capiens. Hic patrimonii ſplendor eſt dictus, ſeu praedii lux, aut vir, ideſt agricola, quod in praedio aſſidue moraretur, idque impenſius coleret, & raro venticaret in urbem ἀπὸ τῆς κτήσεως φῶς, ſive φωτὸς.

(*c*) Hoc alibi adverbio, ut cum grammaticis loquar, uſus eſt Giacomellius. *Prolog. Andr. v.* XXXVII.

(*d*) Mitio vocatur ab Terentio in tota Adelphorum fabula, quod idem omnino eſt quaſi mitis Latina voce di-

N ce-

Contra (nam id alteri fratri nomen fuit)
Cum ſemper abhorruiſſet ab re uxoria (*a*),
Natura alioqui praeditus mitiſſima,
Leniſſimiſque moribus, ſibi Aeſchinum (*b*),
Qui Demeae natu major, adoptaverat (*c*),
Eumque in urbe eduxit (*d*) indulgentius :
Qua facilitate (*e*) adoleſcens fretus maxime,
Exer-

ceretur, eratque revera ſenex natura bonus, Eraſmo adnotante, & quietis amans ***ἀπὸ τῆς μήτιδος*** a mente, & conſilio.

(*a*) Vid. *Giacomell. Prolog. Andr. v.* LXXIX.

(*b*) Hic adoleſcens erat ad voluptatem, proterviamque prolapſus ***ἀπὸ τῆς αἰσχυνῆς*** a probro, quaſi probroſum dicas, qui Pamphilam nempè Soſtratae viduae filiam Athenienſem civem pauperculam fecit gravidam.

(*c*) Ipſe Mitio, qui verius a Giacomellio juxta lectionem Cod. MS. Vaticani vocatur Micio (Muretum namque, quippequi Mitionem in Adelphorum argumento potius dixit quam Micionem, reprehendit Tanaquillius Faber. *Notul. ad Terent. Adelph.*) *nati*, inquit, *filii duo; inde ego hunc majorem adoptavi mihi*; alibi vero *tuum filium*, dicit, *dediſti adoptandum mihi*; & tandem *filius tuus Aeſchinus, quem fratri adoptandum dediſti*. Terent. Adelph. Act. I. ſc. I. v. XXI. ſc. II. v. XXXIV. Act. III. ſc. IV. v. XVII. *Eumque* (ita Plautus) *adoptat ſibi pro filio*. Prolog. Poenul v. LXXVI.

(*d*) *Eduxi a parvulo*. Terent. Adelph. Act. I. ſc. I. v. XXIII. Vid. *Giacomell. Prolog. Andr. v.* XXXIV.

(*e*) Ipſemet Terentius ſententiam exhibens opportunam *facilitate*, ait, *nihil eſſe homini melius*. Adelph. Act. V. ſc. IV. v. VII.

(*a*)

Exercuit, quae fert (*a*) juventus, omnia:
Ac compotando (*b*), largiendo, amoribus
Indulgendo, ſibi nihil non denique
Permittendo, animum pene corrupit ſuum.
Poſtremo virginem quandam, paupercu-
lam (*c*)
Illam quidem, ſed genere prognatam bo-
no (*d*).

San-

(*a*) *Quae fert adoleſcentia* . Terent. Adelph. Act. I. ſc. 1. v. xxviii.

(*b*) *Obſonat? potat?* Terent. Adelph. Act. I. ſc. ii. v. xxxvii.

(*c*) Vocem hanc legimus ab Terentio non raro adhibitam. Ait enim quod Philtera *eſt è Corintho .... paupercula* . Heautont. Act. I. ſc. 1. v. xliv. Sed vocem ipſam alibi repertam cum inſequentibus locutionibus proprio aptavit prologo Giacomellius, eo quod Sulpicium Apollinarem ſcribentem viderit quod *vitiaverat idem Aeſchinus civem Atticam pauperculam* . Argum. Adelph. v. vii. Quod quidem ipſe Muretus *Argum. Adelph.* clarius expreſſit exponens quod Aeſchinus ipſe *in virginem pauperculam quidem, ſed bonam, bonis prognatam, Pamphilam nomine, quam mater Soſtrata vidua ſancte ſecum, & pudice, ut poterat, educabat, noctu temulentus quum incidiſſet, vim ei attulit, gravidamque fecit* .

(*d*) Plautinus Apoecides ſenilem protulit ſententiam dicens Periphani: *Quid eſt quod pudendum ſiet genere natam bono pauperem domum ducere uxorem?* Epidic. Act. II. ſc. 1. v. 11. *E che è vergogna* (en Italicam Alticotii verſionem) *forſe il prender moglie, e il condurſi un po di donna in caſa di buona razza, comunque meſchina?*

Sancte (*a*), & pudice a matre eductam (*b*) Soſtrata (*c*).

Per

(*a*) *Firmare meam apud vos poſſem fidem ſanctius*. Terent. Hecyr. Act. V. ſc. I. v. XXIV.

(*b*) Pro *educatam*. Familiaris penes Terentium loquendi formula, qua Simo prae caeteris *adoleſcentulos* vocat *eductos libere*. Andr. Act. V. ſc. IV. v. VIII. At quum dictum a Giacomellio videmus virginem fuiſſe ſancte, & pudice a matre eductam, Terentianas Pamphili voces eum adoptaſſe fatemur, quibus foemineum memoratur *ingenium bene, & pudice doctum* (Minellius legit *ductum*) *atque eductum*. Ibid. Act. I. ſc. V. v. XL. Quod ſi loquentem quis audiat Phaedriam deprehendet profecto quod abreptam puellulam *eduxit mater pro ſua .... Quid eſt ? Educta ita, uti teque, illaque dignum eſt*. Eunuch. Act. I. ſc. II. v. LXXV. Act. IV. ſc. VI. v. IX. Neque aliter a Micione dictum, qui adoptato natu majore filio, cui Aeſchini nomen inditum, *eduxi*, dictitat, *a parvulo, habui, amavi pro meo*, atque ipſe Demea *eos*, ſubdit, *meo labore eductos maxumo* (de filiis loquitur Aeſchino, & Cteſiphone) *hic*, nempè Micio, *fecit ſuos*. Adelph. Act. I. ſc. I. v. XXIII. Act. V. ſc. IV. v. XXI. & tandem Demiphoni, ac Chremeti dixiſſe Phormionem videmus quod *filiam ſuſcepit, & eam clam educit*. Phorm. Act. V. ſc. VII. v. L. Quibus exemplis edoctus Lipſius *a puero*, inquit, *eductus, doctus liberaliter mores majorum ſimul, & doctrinam inſtiti*. Epiſt. quaeſt. in Praef. Tandem *quis eſt noſtrum* (Tullianis verbis utendum) *liberaliter educatus, cui non educator, cui non magiſter ſuus, atque doctor, cui non locus ille mutus, ubi ipſe altus, aut doctus eſt, cum grata recordatione in mente verſetur*? Orat. pro Planc. n. LXXXI.

(*c*) Matrona, quae maritum reverebatur, benignaque erat in liberos, ſic dicta a σώζειν, eo quod Antiphilam ſervaverit filiam Chremetis conſilio interficiendam, cui vi-

Per vim de nocte vinolentus (*a*) conſtuprat,
Eamque compreſſu (*b*) ſuo gravidam facit (*c*).
Sed poſtquam adoleſcens, quod feciſſet, comperit,
Ad virginis ultro venit matrem lacrumans (*d*),

Ve-

vitam adimere non ſuſtinuit, veluti declarat Muretus. *Argum. Heautont.*

(*a*) Sic ex Terentio loquitur Demipho : *Vinolentus .... mulierculam eam compreſſit* . Phorm. Act. V. ſc. VIII. v. XXVIII. *Ubriaco* (en quomodo in Italicum idioma transferrem) *ebbe commercio con quella donnicciuola* . Apud Plautum lego : *Compreſſit virginem vinolentus* . Ciſtellar. Act. I. ſc. III. v. X.

(*b*) Imitatio ad verbum, ut inquiunt, Terentii, qui Hegionem inducit dicentem quod *virgo* (ſcilicet Pamphila) *ex eo compreſſu gravida* (ab Aeſchino) *facta eſt* . Adelph. Act. III. ſc. IV. v. XXVIII. Plautus vero Mercurium loquentem inducens eadem utitur voce dicens quod *gravidam fecit is* (Juppiter) *eam* (Alcumenam) *compreſſu ſuo*. Prolog. Amphitr. v. CIX. Ita laris domeſtici verba referens, ac de unica Euclionis filia a Lyconide vitiata ſermonem inſtituens *compreſſit eam*, inquit, *de ſummo adoleſcens loco* . *Is ſcit adoleſcens quae ſit , quam compreſſerit .... Eam facilius ducat qui compreſſerat* . Prolog. Aulular. v. XXVIII. XXXII.

(*c*) *Vim ei attulit, gravidamque fecit* . Muret. Argum. Adelph.

(*d*) In veteribus Terentii Codd. MSS. legitur *lacrumans* (pro *lacrymans*) *orans* , *obſecrans* ..... *Quid lacrumas*

Veniam petens : ſancte (*a*) jurat ſeſe filiam
Vxorem ducturum (*b*) domum : ea fide
data (*c*)
Ignoſcitur, tacetur, creditur : patri
Quidem rem totam, ut geſta (*d*) erat, decreverat
Renunciare : ſed pudore territus (*e*)
Nimio, dum dubitat menſes abierunt decem (*f*).

Ac

mas? Adelph. Act. III. ſc. IV. v. XXVI. Act. IV. ſc. v. v. XLV.

(*a*) Sic lego penes Terentium, quo praeeunte novos confecit prologos Giacomellius : *Sancte adjurat non poſſe apud vos Pamphilo ſe abſente perdurare* . Hecyr. Act. II. ſc. II. v. XXVI. Vid. *Terent. cum adnot. Melancthon. Malleol. Hegendorphin. Govean.*

(*b*) *Vxor tibi ducenda eſt , Pamphile , hodie .... abi domum* . Terent. Andr. Act. I. ſc. v. v. XX. Conſentiunt cum Plautinis hae voces, eo quod talia Silenius proferat.... *juravit .... me uxorem ducturum eſſe ... alia ducenda eſt domum* . Ciſtellar. Act. I. ſc. I. v. C.

(*c*) *Fidem ſibi me obſecravit ..... ut darem*. Terent. Andr. Act. II. ſc. III. v. XXVII.

(*d*) *Quaſi re bene geſta* . Terent. Adelph. Act. V. ſc. I. v. XIII.

(*e*) Aeſchinus vitiata Pamphila nimio pudore territus eſt, quum Micionem dicentem audiverit : *Pudore* (verecundia nimirum, ac lenitate) *& liberalitate liberos retinere ſatius eſſe credo , quam metu* . Terent. Adelph. Act. I. ſc. I. v. XXII.

(*f*) A Terentio ipſo phraſim mutuatum fuiſſe video

Gia-

Ac Pamphila (nam id illi nomen erat
virgini)
Dolore jam laborabat (*a*), cum incogitans (*b*)
Ado-

Giacomellium . *Haec dum dubitas* (ſunt Micionis verba in Aeſchinum prolata) *menſes abierunt decem* . Adelph. Act. IV. ſc. v. v. LVI. Decimo enim menſe perfectum edi partum ex Hippocrate veteres docent juriſconſulti . *Menſis hic* (ſic antea dixerat ipſemet Terentius) *decimus eſt* . Ibid. Act. III. ſc. IV. v. XXIX. lunaris nimirum, ut verbis utar Weſterhovii *Comm. in Terent. Adelph. p.* DCCXLVIII. ſiquidem ita ante J. Caeſarem anni computabantur . *Abhinc menſes decem fere* . Hecyr. Act. V. ſc. III. v. XXIV. *Inſolet ne mulier* (ita Caecilius . *Ploc.*) *decumo menſe parere* ? Penes Virgilium lego : *Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes* . Eglog. IV. v. LXI. Eum imitatus eſt Alcimus Avitus dicens : *Et cum longa decem tulerint faſtidia menſes* . De laud. caſt. L. VI. v. CLXXIII.

(*a*) Sic Terentianus Myſis Pamphilo dicit quod Glycerium *laborat è dolore* . Andr. Act. I. ſc. v. v. XXXIV. Dolore vero inſtantis partus diſcruciari Pamphilam , de qua hic loquitur Giacomellius , ipſa teſtatur penes Terentium . *Miſeram me*, inquit ipſa , *differor doloribus! Juno, Lucina fer opem , ſerva me obſecro* . Adelph. Act. III. ſc. IV. v. XXXIX. Revera nil ſupererat aliud niſi ut *corpus lecto reciperet* (utar verbis Phaedri . *Fabul. L. I. fab.* XVIII. v. IV.) *onus naturae melius quo deponeret* ; ſiquidem antiquitus ſarcinae nomen foetus obtinuit adnotante Hooghſtratanio *Adnot. in Phaedr. fabul.* atque adeo Belgarum eſt trita locutio crebris uſurpata ſermonibus *zy heeft* nimirum *een pakie te dragen* , atque alia *zy heeft haar . . . . . . pakie geloſt &c.*

(*b*) *Ni fuiſſem incogitans* . Terent. Phorm. Act. I. ſc. III. v. III. Plautus vero *animo*, dixit , *incogitato* . Bacchid.
Act.

Adoleſcens in ſe peccatum (*a*) admittit
novum,
Quod tandem turbas (*b*) excitavit maximas.
Et ipſe quandam Cteſipho cithariſtriam (*c*),
In urbem ventitando, coepit perdite
Amare (*d*): leno, puellae qui dominus erat,
Tan-

Act. IV. ſc. III. v. I. *Scio me fuiſſe ..... incogitabilem* . Mil. Act. II. ſc. VI. v. LXIII. *Amori accedunt etiam .... temeritas, incogitantia* . Mercat. Act. I. ſc. I. v. XXVII.

(*a*) *Si quid* (ita Terentii Micio) *peccat Demea, mihi peccat .... Me hoc delictum admiſiſſe* (ſic Aeſchinus) ..... *vehementer dolet ..... Jam* (idem loquitur) *id peccatum ..... fecere alii ſaepe* . Adelph. Act. I. ſc. II. v. XXXV. Act. IV. ſc. V. v. XLVI. LII.

(*b*) *Timeo ..... ne ..... ille .... turbam faciat* (ideſt *excitet*) *aut vim Thaidi* . Terent. Eunuch. Act. IV. ſc. I. v. II. Loquitur Dorias de Thraſone, qui juxta Farnabium *Not. in Eunuch.* importunus erat, inſuavis, furioſus propter Chremetem, quem ſibi rivalem adductum credebat. *In ipſa turba* . Adelph. Act. V. ſc. I. v. XI.

(*c*) Fidicinam nempè, quae foeminas docebat muſicam juxta veterum mores commemoratos ab Ariſtophane. *Nub. Act.* III. ſc. II. v. CMLXI. *Continuo ... nactus .... cithariſtriam .... Quid paedagogus ille, qui* (intelligitur *ſectabatur*, *in ludum ducebat*) *cithariſtriam* ? Terent. Phorm. Act. I. ſc. II. v. XXXII. XCIV.

(*d*) Giacomellii Phormionis fabulam perlegentis Terentianam ea certe, haec dum ſcriberet, erant oculis ſubjecta fidelibus, quae Davo ſervo ſervus alter dicebat Geta: *Hic Phaedria* (adoleſcens Chremetis filius) *continuo* quam-

Tantum ſibi in manum poſtulabat dari
Ea quanti eſſet: aliter ſeſe pſaltriam (*a*)
Quamprimum venditurum. Cteſipho, qui neque
Conſilii quidquam haberet, nec pecuniae
Copiam, eo deſperationis venerat,
Vt patria abire cogitaret. At Aeſchinus
Re intellecta in domum lenonis impetu
Facto, abreptam inde puellam fratri tradidit.
Id vero mater cum reſciſſet (*b*) Pamphilae,
Non jam dubitandum rata quin Aeſchinus ſuum
Animum demutaſſet (*c*), cognatum filiae
Se-

quamdam nactus eſt puellam citbariſtriam; banc amare coepit perdite. Act. I. ſc. II. v. XXXII. *Queſto Fedria poi* (audiendus eſt Forteguerrius) *procacciosſi ben toſto una fanciulla, che ſuona di chitarra, e ſe n' acceſe per modo tal, che andavane perduto*.

(*a*) Puellulam fidicinam, pſaltriam certè dictam a pſallendo. A Graecis dicitur ψάλτρια, ſcilicet fidibus addicta, ſeu cantrix, quae inſtrumento aliquo muſico canit. *In coetum mulierum pro pſaltria adducitur*. Cicer. Orat. pro Sext. n. XXV. *Pſaltriam adducamus*. Tuſcul. quaeſt. n. LXII.

(*b*) *Primus reſciſco omnia .... Si te ipſum mibi puduit dicere qua reſciſcerem?* Terent. Adelph. Act. IV. ſc. II. v. VII. ſc. V. v. LVII. *Poſtmodum reſciſſes .... Omnia ubi omnes reſciſcunt; bic quos par fuerat reſciſcere*. Hecyr. Act. II. ſc. I. v. XI. Act. V. ſc. IV. v. XXVIII.

(*c*) *Imperium tuum demutat*. Plaut. Menaehm. Act.

Senem quendam Hegionem (*a*), ut eſſent
 proditae (*b*),
Per ſervum certiorem facit. Expoſtulat
Injuriam (*c*) Hegio primum cum Demea,
Priuſque quam illas deſerat jurat animam
Relicturum ſuam (*d*). Demea, qui ſaepius
Jurgaverat (*e*) cum fratre, quod omnia
 Aeſchino
Praetermitteret, irarum plenus convolat (*f*)
Au

V. ſc. II. v. CXVIII.

(*a*) Dictus Hegio ſenex *ἀπὸ τοῦ ἡγεῖσται* a ductu, ſeu principatu: Curam enim, utpote puellae cognatus, habebat Soſtratae, ejuſque familiae.

(*b*) *Illi prodita abs te filia*. Terent. Heautont. Act. IV. ſc. I. v. XXVI.

(*c*) Expoſtulare eſt conqueri apud eum, qui fecit injuriam. *Cum eo* (Charinus inquit apud Terentium) *injuriam hanc expoſtulem*? Andr. Act. IV. ſc. I. v. XX. Quam bene ſcriptores imitatur comicos Giacomellius!

(*d*) Revera Getam, Demeam, Pamphilamque alloquutus Terentianus Hegio *animam* (vitam interpretatur Minellius) *relinquam*, inquit, *potius quam illas deſeram*. Adelph. Act. II. ſc. IV. v. LII.

(*e*) *Cum Davo* (ſunt Terentii verba a Chremete prolata) *egomet vidi jurgantem ancillam*. Andr. Act. V. ſc. I. v. XIX. *Je vien* (haec Gallica verſio Daceriae) *de voir moy meme la ſervante, qui ſe querelloit avec Davus*. Vid. *Perierſ. Steph. Sac. Verſ. Gallic. Andr.* Micio autem in haec verba prorumpit: *Credo jam, ut ſolet, jurgabit*. Adelph. Act. I. ſc. I. v. LIV.

(*f*) *Populus convolat*, ut eſt penes Terentium. *Hecyr.*
Pro-

Ad Micionem : qui, qua erat clementia (*a*),
Cum audiſſet omnia ab Hegione, Soſtratae
Jam pollicitus erat, daturum filio
Vxorem Pamphilam : tum vero jurgiis,
Conviciiſque (*b*) Demea omnem iram evomit (*c*).

Fa-

Prolog. v. XL.

(*a*) Certum eſt *facilitate nihil eſſe homini melius*, *neque clementia*. Terent. Adelph. Act. V. ſc. IV. v. VII.

(*b*) *Non feciſſe erit melius hic convicium*. Terent. Adelph. Act. II. ſc. I. v. XXVI. Demea ſenex agreſtis, parcus, truculentus, tenax, qui cum Micione fratre moribus leniſſimis praedito ſaepe jurgaverat, & jurgiis, conviciiſque iram omnem evomuerat, fratris ejuſdem oratione placatur, ac veterem tandem aliquando deponit ſaevitiem, ob quam, ut Phaedri verbis rem exponam, *acerbum.... convicium faciebat*. Fabul. L. III. fab. XVI. v. III. Atque id vel factum quod errore vitae agnito priſtinam indolem repente mutaverit, vel quod δὶς παῖδες, veluti Graeco tritum eſt ſermone proverbium, οἱ γέροντες. *Ariſtophan. Nub. Act. V. ſc.* I. *v* MCDXIX. Quod ex Theopompo confirmat ſcholiaſtes ſubjungens δὶς παῖδες οἱ γέροντες ὀρθῷ τῷ λόγῳ. Quare Antipho γεροντροφία γὰρ προσέοικε παιδοτροφίᾳ. At legendi prae caeteris Manutius *Adag. p.* CCXCV. Eraſmus *Chil. I. prov. n.* CDXXXVIII. Monoſinius *Flor. Ital. L. II. n.* XXXVII.

(*c*) Ait Geta ſervus : *Iram hanc in eos evomam omnem.... Requiram* (Demea ſenex ſubdit) *fratrem, ut in eum haec evomam*. Terent. Adelph. Act. III. ſc. II. v. XIV. ſc. V. v. LXX. *Atque in eam*, inquit Laches, *hoc omne, quod mihi aegre eſt, evomam*. Hecyr. Act. III. ſc. V. v. LXXV. Metaphora, ut ajunt rhetores, a ſtomacho deſumpta, qui

O II. ex-

Factum eſt etiam per ſervuli imprudentiam (*a*)
Vt intus Cteſiphonem eſſe intelligeret:
In aedes introrumpit (*b*): quem ut ſobrium (*c*),
Parcum (*d*), bonaeque frugis (*e*) praedicaverat,

Ibi

exceſſu cibi, potuſque oneratus levatur per vomitum, veluti repetita conſtat medicorum obſervatione. At legendus praeſertim Boeclerus, qui Chreſtomathiam (ſit Graeco verbo venia) edidit Terentianam, ſeu mavis rerum, quarum meminit ipſe Terentius, explicationem.

(*a*) *Scio* (inquit Chremes apud Terentium) *te ... imprudentem ..... facere omnia*. Heautont. Act. IV. ſc. I. v. XIX.

(*b*) Senex Terentianus, cognomento Laches, in Thaidis domum violenter ingredi quum vellet in haec verba agens cum Parmenone prorupit: *Ceſſo* (in quibuſdam Codd. habetur *ceſſon'*) *huc introrumpere*? Eunuch. Act. V. ſc. VI. v. XXVI.

(*c*) Hominem ſcilicet ſanae mentis, qui ſobrie loquitur, neque ebrius eſt. Injurioſe reipſa Davo dixerat Myſis: *Tu pol homo non es ſobrius*. Terent. Andr. Act. IV. ſc. V. v. XL.

(*d*) *Fui parcus*. Plaut. Rudent. Act. IV. ſc. II. v. XIV.

(*e*) Ideſt bene moratum, in cujus animo aliquid extat, quo fruantur homines, veluti fruuntur frugibus humano generi tantopere neceſſariis. Profecto Chaereae dicit penes Terentium Antipho: *Frugi es*. Eunuch. Act. III. ſc. V. v. LX. *Tu ſei* (ſic Forteguerrius) *un uom di garbo*. Demea vero a Syro quum vidiſſet factum quod juſſerat ſubdit: *Frugi homo es*. Adelph. Act. V. ſc. IX. v. II. *Vn uo-*

mo

Ibi cum amica potitantem (*a*) ſuaviter
Deprendit: tum vero ardere iracundia (*b*),
Vociferari (*c*), ſic ut videretur furens.
Oratione Micionis denique
Placatus, poſtquam ſecum diſputaverit (*d*),
Satius eſſe veterem ſaevitiem (*e*) ponere,
Ac-

mo (pro more ſuo idem Forteguerrius) *ſei di vaglia*. Demum ſignificatione ipſa ita apud Plautum Dinarchus loquitur adoleſcens: *Vinum, aut oleum, aut triticum tentat, benignus ne, an bonae frugi ſieſ.* Truculent. Act. I. ſc. I. v. XII.

(*a*) *Eum*, Cteſiphonem nimirum, *accubantem cum amica*. Pamphila, *& ſuaviter potitantem deprehendit* Demea. *Muret. Argum. Adelph.* Revera in perſona Syri Terentius dixit: *Cyathos ſorbillans* (hoc potitare eſt) *paullatim hunc producam diem*. Adelph. Act. IV. ſc. II. v. LII. Non in Codd. omnibus MSS. ipſa leguntur verba, atque ille maxime conferendus eſt membranaceus ſaeculi XV. qui in regia extat bibliotheca athenaei Taurinenſis. *Paſin. Codd. MSS. bibliotb. Taurinenſ. T. II. p.* CLXX. In Amphitrione vero Plauti lego dicere Mercurio Soſiam ſervum: *Potitare rex ſolitu' ſt*. Act. I. ſc. I. v. CV. Inſuper in Aſinaria dicit Diabolo adoleſcenti Paraſitus: *Tecum pocula potitet*. Act. IV. ſc. I. v. XXVI.

(*b*) *Ardeo iracundia*, iratus exclamat Geta ſervus apud Terentium. *Adelph. Act.* III. *ſc.* II. *v.* XII. Italice juxta Bergalliae verſionem dici poſſet: *Son tolto da collera*. Idem eſt ac incendi, aut prae iracundia commoveri. Graeci dicunt ἐξέκαιον γοῦν τὸν ἄϑλιον γέροντα, ut eſt apud Lucianum. *Pſeudom. c.* XXX.

(*c*) *Vociferatus quum eſſet*. Muret. Argum. Adelph.

(*d*) *Diſputata eſt ratio*. Plaut. Aulular. Act. III. ſc. V. v. LV.

(*e*) Demea enim *agreſtis* erat, *ſaevus*, *triſtis*. Terent.

Atque exemplo fratris id operam dare, ut
a ſuis
Ametur obſequendo, dando; Pamphilam
Accerſi (*a*) non modo permittit, ſed jubet (*b*):
Impellit Micionem ut ducat Soſtratam:
Quid plura? Cteſiphonem habere pſaltriam,
Dum in ea finem faciat, ſinit lubens (*c*),
Sed hinc concrepuit (*d*) oſtium: ipſe Micio
Egre-

rent. Adelph. Act. V. ſc. IV. v. XII.

(*a*) *Mox virginem accerſant ..... uxorem accerſis*. Terent. Adelph. Act. V. ſc. VI. v. I. ſc. VII. v. VI.

(*b*) *Jubet frater ? .... tu jubes .... ego vero jubeo*. Terent. Adelph. Act. V. ſc. VIII. v. I.

(*c*) *Lubentem fac ..... lubens bene faxim*. Terent. Adelph. Act. IV. ſc. VII. v. XXXVII. Act. V. ſc. V. v. VI. ſc. VI. v. VIII. *Lubens, meritoque*. Plaut. Perſ. Act. II. ſc. III. v. II. Vid. *Giacomell. Prolog. Phorm.* v. LXXIX.

(*d*) *Crepuit* (idem ac *concrepuit*) *a Glycerio oſtium*. Haec Davus ſervus in ſcenam productus a Terentio. *Andr. Act.* IV. *ſc.* I. v. LXIV. Vid. *Auril. Verſ. Hiſpan. Terent.* Ipſe vero fabularum ſcriptor Cteſiphonem adoleſcentem, cujus meminit Giacomellius, inducens cum Syro ſervo familiaria inſtituentem colloquia *quis nam*, inquit, *fores crepuit*? Servus autem reſpondet adoleſcenti: *Mane, mane, ipſe exit foras*. Adelph. Act. II. ſc. III v. XI. Vid. *Loll. Verſ. Italic. Adelph.* Inſuper loquentem Antiphonem haec interpellant Phormionis verba: *Sed oſtium concrepuit abs te*. Phorm. Act. V. ſc. V. v. XII. *Ma la porta* (ſic verto) *della tua caſa fece qualche ſtrepito. Sed oſtium concrepuit*. Hecyr. Act. IV. ſc. I. v. VI. Vbi adnotandum in veterum
aedi-

Digitized by Google

Egreditur, vobis quem dixi (*a*), placidus(*b*) ſenex.

Va-

aedificiis fores olim in publicum referari conſueviſſe. Hinc proditurus quiſpiam manu ab intus pulſabat, quo caverent qui eſſent in via ne a protruſis repente foribus laederentur. Quare ἐπὶ (ſic ſcholiaſtes Ariſtophanis. *Nub.*) δὲ τῶν ἔσω ἐψόφηκε τὴν θύραν ἐξιών.

(*a*) Ad ea Giacomellius alludit, quae ſupra dixerat, quando Micionem deſcripſit ſenem, qui erat *natura alioqui praeditus mitiſſima, leniſſimiſque moribus*, eumque modo abſolvens fabulae prologum vocare placidum voluit. Ejuſmodi vero eſt comicorum dicendi formula etiam ab oratoribus uſurpata, qui vel jam prolata commemorantes, vel ſermoni finem imponentes ſe modo aliquid reduxiſſe in memoriam, modo dixiſſe omnia fatentur auditoribus antequam conticeſcant. Revera Terentianus Demipho plura cum Phormione loquutus *hoc age*, inquit, *ſatis jam verborum eſt.... dixi Phormio*, cui Phormio ipſe reſpondit: *Dixi Demipho*. Phorm. Act. II. ſc. III. v. LXXXIX. XCII. Laches quoque ubi cum Soſtrata, Pamphiloque ſermonem habuerit *compone*, ſubjungit, *quae* (alii legunt *qua*) *tecum ſimul ferantur*; *dixi*. Hecyr. Act. IV. ſc. III. v. V. Hoc ſanè verbum *dixi* adhibitum a Lachete, atque in fine ſermonis additum ſuperiora confirmat cum Soſtratae, tum Pamphilo declarata, eſtque proprium his, qui innuere denuo cupiunt firmum eſſe, ratumque quod egerint. Hinc Giacomellius noſter Sophoclis verba εἴρηκα μὲν ταῦτα *Electr.* v. LXXIII. Italice reddens *quel' ch' i' volea*, ſic vertit, *l' ho detto*, & Camerarii adnotationibus inſiſtens ſententiam refert Platonis καὶ ὅτι ἂν δοκεῖ εἴρηκα. *Lach. n.* VIII. Apud Aeſchilum vero Minervae ſermo his verbis abſolvitur εἴρηται λόγος. *Eumenid.* v. DCCXIII. At penes Terentium locutio haec *dixi* pluries repetita legitur praecipue in Codd. MSS. Vidi ipſe Cod. MS. chartaceum Terentii eos inter, qui a Sozomeno Piſtorienſi olim fuere collecti, quique Piſtorii in biblio-

theca

Valete (*a*), bene rem gerite (*b*), noſque pergite
Tueri (*c*), quos veſtram accepiſtis in fidem (*d*).

theca, quam vocant *ſapientiae*, aſſervantur, ubi praeter Ortobellii adnotationes explanatio ſubnectitur Antonii cujuſdam Geminianenſis. Eum fortaſſe quis arbitrabitur è Cettia gente progenitum; ſiquidem alios ejuſdem nominis habuit, atque unum maxime, qui in familiae ſepulcro in S. Auguſtini apud Geminianenſes conditus eſt cum inſcriptione hac Gothicis expreſſa characteribus:

S. CETTI . RANIERI . ET . SER . ANTONI . FILI
SVI . ET . HEREDVM . SVORVM .

Sed de hac re penes criticos judicium eſto. In fine vero MS. lego *Caliopius recenſui Florentiae* XVI. *Xmbris* MCCCCVII. atque illum quidem cognomento Caliopium, qui MSS. alios recenſuit, alibi non ignoro commemoratum, ſicuti & repetitum *dixi*.

(*b*) *Tam placidum . . . . . reddo*. Terent. Adelph. Act. IV. ſc. I. v. XVIII.

(*a*) Vid. *Giacomell. Verſic. in Eunuch.* v. XIV. *Heautont.* v. XVIII.

(*b*) *Re bene geſta*. Terent. Adelph. Act. V. ſc. I. v. XIII. *Bene rem gerebat*. Plaut. Trinumm. Act. IV. ſc. II. v. LVI.

(*c*) Vid. *Giacomell. Verſic. in Heautont.* v. XVIII.

(*d*) *In clientelam, & fidem nobis dedit ſe*. Terent. Eunuch. Act. V. ſc. IX. v. IX. Vid. *Giacomell. Prolog. Hecyr.* I. v. XLV.

EXPLICIT PROLOGVS
ADELPHORVM.

PHOR-

Digitized by Google

PHORMIO.



TITVLVS.

ACTA . LVDIS . ROMANIS . L. POSTHVMIO . ALBINO . ET L. M. CORNELIO . MERVLA . AED. CVR . EGERVNT . L. AMBIVIVS . TVRPIO . ET . L. ATTILIVS . PRAENESTINVS MODOS . FECIT . FLACCVS . CLAVDI . F. TIBIS . IMPARIBVS TOTA . GRAECA . APOLLODORV . EPIDICAZOMENOS . FACTA IV. GN. FANNIO . STRABONE . ET . M. VALERIO MESSALA . COSS. AN. AB . V. C. DXCIII. ANTE . XPTVM NATVM . CLIX. ACTA . DENVO . ROMAE . LVDIS BACCHANALIBVS . AB . ACADEMICIS . LATINIS . IN THEATRO . COLLEGI . SALVIATI . AN. MDCCXXXVII.

PLACVIT .

CXIV.

EX PHORMIONE.

Quam inique comparatum eſt, ii, qui minus habent,
Vt ſemper aliquid addant divitioribus!

Act. I. ſc. I. v. VII.

Fortes fortuna adjuvat.

Act. I. ſc. IV. v. XXVI.

Omnes quum ſecundae res ſunt maxime, tum maxime
Meditari ſecum oportet, quo pacto adverſam aerumnam ferant.


Act. II. ſc. I. v. XI.

Quot homines, tot ſententiae; ſuus cuique mos.

Act. II. ſc. IV. v. XIV.

Nihil eſt,
Quin male narrando poſſit depravarier.

Act. IV. ſc. IV. v. XV.



Digitized by Google

CXV.

MATANIVS CASATIO SVO S.

MEDIOLANVM .

TVas accepi litteras, illas quidem humaniſſimas, Mediolano datas extremo menſe Junio, & ad me Quintili ineunte perlatas, quibus nihil his diebus accepi gratius, jucundius nihil. Quum enim ſit virtus ipſa per ſe amabilis, amavi te ſemper ſtudio virtutis incenſum, mihique videor tecum eſſe, tecum amice verſari, tuas quum lego litteras. Et quoniam tanta eſt animi tui benignitas, ut tibi videaris eſſe mecum ſi meas legeris, peto abs te has quoque ut recipias libentius, & quaſdam ſaltem, quas ad te mitto, quantulaecumque ſint, meditari velis obſervatiunculas. Eas revera facere inſtitui in verſiculos aliquot confectos a Giacomellio, cui Latine ſcribenti nec amoenitas defuit unquam, nec lepor, nec eloquentia. His autem edictum populo de agenda Terentiani Phormionis fabula. Neque alio prorſus conſilio talem ſuſcepi laborem, quam ut feſtivo, jucundoque ſtudio prodeſſem aliis, quibus tunc ſolum deero, quando ſcilicet mihi defuiſſe ſentiam. Quid? Medicus ego nullius fere nominis, ſtudiiſque addictus profanis perturbare audeo ſeveriora ſtudia viri percelebris, ejus nimirum, qui ſacrae, & a vulgo remotae hominum familiae quum mancipaverit ſeſe, multum ſe continet domi, libros ut evolvens divinos ſanctioris explicare populo legis myſteria poſſit? De poeticis cum viro ejuſmodi loquor verſiculis, de comoediis, de prologis? Tecum loquor, mi Caſati, cujus virtus

intaminatis fulget honoribus . Quid audio, inquies? Sed tace paulliſper , & vide quantum ſit antiquae amicitiae vinculo tribuendum , quo factum ut pluſculum fortaſſe laudis mihi quaererem ſi falcem , licet incogitans, in meſſem , ut ajunt , alienam injicerem . Audi , & veniam dabis . Neque aegre feras velim ſi volens, lubenſque tui revocem in memoriam Giacomellium ipſummet, magni ingenii, & nominis virum poeticis, iiſdemque venuſtioribus, jamdiu litaſſe carminibus ut quum maxime , eidemque vel ſeneſcenti ſuaviores muſarum arriſiſſe blanditias, comicorumque ſcripta diſplicuiſſe nunquam . Ipſe vero, ut bene noſti, dignitatibus jure merito ornatus ampliſſimis ad ſacrum quoque honorifice fuerat evectus regimen (tametſi munus ejuſmodi ob protervam incolarum procacitatem in deſuetudinem abierit luctuoſam) populorum Chalcedonienſium . Permulta inſuper è profanis omnibus cum Graecis, tum Latinis eum hauſiſſe vides , quae in cauſſa fuerunt ut homo ille cumprimis doctus in res divinas dum ardentius incumberet progreſſus fecerit quos voluit, neque potuerit unquam non velle maximos . Quid ſentiam patienter audias velim , ac ſi minus fortaſſe placuerit , ſeu ratione prorſus diverſa volueris intellectum , me non aegre ferente refutabis . Anne divinae , humanaeque litterae opem ſibi mutuam praeſtant , & perſaepe clareſcunt mutuo? Anne ſanctiores , illuſtrioreſque divini verbi praecones litteras neglexere profanas ? Minime . Neque animus eſt mirabilem recenſere dicendi facundiam hominibus doctrinarum expertibus quandoque inſpiratam divinitus , qua factum ut fortes ab infirmis , ab ſtultis confunderentur ſapientes , ſed eam praecipue , quam alii

ſum-

ſummo labore partam, atque perfectiori vitae regimini copulatam diſſeminarunt in vulgus. Ipſe intimo animi ſenſu non diffiteris Paullum humanas a Gamaliele hauſiſſe litteras, poeticaſque itidem cum Athenis, tum alibi, non ſibi, ſed aliis proſpicientem diſſeminaſſe ſententias ex Arato deſumptas, & Epimenide, atque inſuper ex Callimacho detortas, & Euripide. Vbi enim evaſit verae religionis aſſertor, & vindex, homines omnes in Athenienſi ſapientum conſeſſu Dei genus eſſe ipſis maxime protulit verbis, quae Aratus, non ſecus ac ille è Cilicia oriundus, olim de Jove protulerat, ſcribenſque è Thracia ad Titum epiſtolas illud uſurpavit Epimenidis effatum, quo ille Cretenſes municipes ſuos ſemper mendaces, ac pigros affirmaverat extitiſſe. Ego equidem, vir optime, ſuperioribus annis Piſis quum eſſes, & coram Augg. divina verba proferres, memini te è ſacro quondam ſuggeſtu in mentem revocaſſe audientium quod jam Romanis ardenti zelo ipſemet dixerat Paullus, eum ſcilicet, qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtere. Num ignoras verbis iiſdem Cyrenenſes prius alloquutum fuiſſe Callimachum? Nil quoque verius, ut bene noſti, quam bonos mores pravis corrumpi colloquiis. Quod tamen, etſi Corinthiis eumdem inculcaſſe Paullum lego, idem etiam non abſimili ratione invenio dictum ab Euripide. Nec plura. Satis namque conſtat eum laboraſſe nonnihil in ſelectioribus coacervandis ſententiis, quae vel in Homericis leguntur libris, neque pauca è profanis aliis exſcripſiſſe ſcriptoribus, ut qui repente beneficio planè divino ad excelſa praeiverat, humanis quoque ſtudiis facilius in animos illaberetur alienos. Hinc factum ut quum ad Graecorum praecipue ſeſe conforma-

ma-

maverit uſus, contra unum, vel aliud infidelitatis vitium promptiori eloquentiae apparatu pugnam capeſſeret, quo eos maxime urgeri, & laborare ſentiret, nec ante deſiſteret quam Deo duce debellatum eſſet. Quis neſciat magnum Baſilium omnibus ingenii conatibus demonſtrare haud levem deſumi poſſe è litteris profanis utilitatem? Idipſum exploratum tibi ſatis ſuperque, praeter Eunomium, Anomoeos praeſertim expertos eſſe, Arianos, Sabellianoſque, adverſus quos ea cumulavit ſapienter, quae nonniſi eloquentiſſimum decere potuerant virum, qualem ipſi etiam verba facientem populo ſuſpexerunt Caeſareienſes, quorum ſacro regimini fuerat jure meritoque praefectus. At ignotum nemini Gregorium, Nazianzenum illum quidem, ad oratores ſe contuliſſe percelebres, Libaniumque praecipue, cujus ſingularis fuit in arte dicendi praeſtantia, ſaniori ut imbueretur dicendi, ſcribendique arte, qua opus erat ut populorum animos paullatim flecteret, atque mores eorum emolliret faciſius. Amabilis hic, uti erat, Baſilii comes, ac praeceptor quondam Hieronymi (quae nomina bone Deus!) oratoria permulta apprime, diſerteque congeſſit, atque poetica, cum Arianis dimicavit acerrime, Chriſtiani nominis gloriam novis in dies virtutibus illuſtravit, ſibique commiſſum gregem valido ſermone nutrivit. Quod quidem peregiſſe quoque Joannem, quem Chryſoſtomum vocant, compertum eſt, quippe quem, ſub Libanio ipſo Athenis quum profecerit multum, vel ipſas ſerunt ſtudioſe lectitaſſe Ariſtophanis fabulas, vehemens ut plerumque fieret in moribus, foeminarum maxime, perſtringendis. Sed ad ſacrum Conſtantinopolitani gregis evectus regimen omnes norunt quan-

tum ille, paſtorali dum munere fungeretur, vera, & germana eloquentia pravam increpaverit vivendi licentiam, quot ille ſermones protulerit facundia refertos maxima. Quandoque autem cum adſtantibus de Deo, de aeterna gloria bene viventibus abunde promiſſa tam alte dixiſſe, tam jucunde ſtupebant omnes, gaudiis ut jam intereſſe viderentur caeleſtibus. Neque aliter ab Joanne expectandum eſſe norunt orientis incolae, utpotequi mirabilem in eo ſanctitatis, ingeniique ſuſpexerant conjunctionem. Nam certatim confluebat ad eum è veſtigio audiendum populi turba promiſcua, inde diſcedens divini verbi pabulo recreata. Quam vellem Chryſoſtomus reviviſceret! Ille profecto Turcarum populos, genteſque finitimas vera, ibi dum eſſet, religione praeſtantes, nunc vero nefaria Mahometis ſuperſtitione deceptas non a luctuoſa tantum barbarie vindicaret, ſed a miſerabili errore ob aureum eloquentiae flumen revocaret ad veritatem, atque in opere tam glorioſo ſanguinem ipſum generoſa quadam animi alacritate profunderet. Quantopere autem profecerit ex Donato Hieronymus tuum ſit judicium. Ea quum lego, quae ſcripſit, non Tullianam modo eloquentiam admiror elegantioribus floſculis undique diffluentem, ſed vel Terentianas dicendi formulas, venuſtiores cumprimis, ab Donato ipſo in explanandis comici hujus fabulis magno delectas ingenii acumine. Ille, ſi coaevos ſcientia metiri velis, ſecundus nemini fuit, ſi ſtudio, labore, ſolertia vix aliquos habuit ſibi pares. Mirari tamen deſino id unum memoria reputans, eum ſcilicet in Syriam ſeceſſiſſe, indeque peragraſſe Thraciam, Pontum, atque Bithyniam, mox Galatiam inviſiſſe, Cappadociam, atque Ciliciam, dul-

ces ut ſapientiae fructus ſummo, ut ille ait, labore de amaro decerperet ſemine litterarum. Niſi vero ſacras humanis litteris adaequaſſet, quomodo verſiones innumeras Codd. MSS. docte non minus, quam ſapienter perficere valuiſſet? Vigilantii, Helvidii, Joviniani (quippe qui projecta omnes ad quidlibet aut cogitandum, aut ſcribendum erant natura praediti) quomodo errores refellere, inſolentiamque vivido ingenii ardore, & eloquenti omnino facundia retundere? Quomodo ſcite, docteque, ut fecit, Heliodorum alloqui, Ruſticum, Nepotianum, Pammachium? Mira ſanè enituit in eo venuſtas ſcriptionis, & elegantia, quum geſta Hilarionis, Paulli, Malchi repraeſentaret, quum denique Demetriadem de moribus agens, Laetam, Furiam, Marcellam, aliaſque incomparabilis exempli foeminas ſuavi, eruditoque calamo praeceptis imbueret ſeverioribus. Fortiſſimus ille ſenex donec potuit, & fere potuit quoad vixit, ſacrum ſemper aliquid, & elegans exaravit. Dignum profecto tu ipſe agnoſcis Hieronymum, cujus eloquentiam pia poſteritas in omne tempus imitetur, & celebret. Quid plura? Sed vide, amabo te, quantum etiam in Leone fuerit eloquentiae, non putidiuſculae quidem, ſed ſingularis, atque divinae, qua Romanus dum eſſet Pontifex (ut ſermones praeteream, & quidquid contra Eutychianos conſcripſit, ac Neſtorianos) Attilae Italiam vaſtantis cohibuit audaciam. Ita factum ut quum inſtinctu divinitatis Chriſtianam rebus omnibus praeferens fidem, ac de ſe ipſo triumphans Romanum aſcenderit ſolium, ſtrenuique martyrii monumenta fuerit admiratus, non ad omnia modo paratum exhibuerit ſeſe, ſed advocata etiam in ſubſidium dicen-

di

di arte Genſerico ſuaſerit maxime ut ab inſidiis abſtineret Romanae urbi barbare ſuperſtructis . Nec immerito omnes id temporis debuerat , opinor , eloquentiae nervos intendere . Nihil enim antiquius habuit quam urbem tueri percelebrem , ac glorioſo multorum ſanguine conſecratam, ubi adeo reſplenduit ſanctimoniae lux, ut quae olim magiſtra fuerat erroris , diſcipula veritatis evaſerit , effectaque caput Chriſtiani orbis divina religione praeſideret latius, quam dominatione terrena . At in ipſis epiſtolis , quarum ſuperſunt bene multae , niteſcit probitas, & elegantia Leonis . Nam ſi unam, aut alteram perlegat quiſpiam , alias inveniet indulgentiae plenas , alias cenſoriae gravitatis, omnes paterni amoris , atque doctrinae . Profana vero ſtudia non modo Juſtinus non repudiavit , ut bene noſti , neque Theodoretus , ſed neque ab iis abhorruerunt qui teterrimos Chriſtianae religionis hoſtes inſectari quum voluiſſent, adverſariorum audaciam profanis quoque armis infringere debuerunt , inſolentiamque retundere . Joannes certè ille , Damaſcenus cognomento , Iconomachos exagitavit ardentius, Maximus pio non minus , quam erudito calamo Monothelitas , Donatiſtas Optatus , Novatianos Pacianus . An ignoras quam eloquenter adverſus Simonem , Menandrum , Ebionemque permulta ab Egnatio perſcripta fuerint, & quae, quantaque Irenaeus congeſſerit , atque Cyrillus ut Valentinii , atque Neſtorii errores undique diſſeminatos arte refellerent ? Jamque vides , amice ſuaviſſime , quomodo ſe res habeat . Patiaris quaeſo me volutare animo , Terentium nempè ipſum, utpote Africae natum, ſuis ab popularibus , qui ſacris rebus incubuerunt impenſius , magno in honore ha-


bitum, illiuſque perlectas fabulas, atque in elucubratione multiplici ingenioſe traductas. Tu vero Cypriani ſi libros legeris, ut ſoles, atque Fulgentii, & quae ab Origene, ac Tertulliano jactata fuerunt in vulgus, rem tenebis maxime, eoſque, praeter Homerum, Terentium quoque lectitaſſe fateberis. Vtinam a philoſophia Platonicorum Origenes, Tertullianus vero a Montani erroribus declinaſſet, atque utrique ambitioſa quaedam ſcriptionis ornamenta plerumque recidere valuiſſent! Qua in re, de erroribus verba faciens, quos animo imbiberant, nollem imitatores habuiſſent. Pertinacia enim ejuſmodi erant, ut magno licet pollerent ingenii acumine, quamcumque tamen opinionem, quae altius eorum animis inſediſſet, nulla unquam ratione deponerent. Et quoniam de Afris ſcriptoribus tecum loquor, qui divinam eorum aemularis doctrinam, & in ſacrum coetum es cooptatus, qui ſplendidum gentis Africanae lumen, Auguſtinum ſcilicet, patronum habet, atque parentem, quidquid eſt per me dictum in iis, quae geſſit, & ſcripſit, uberius agnoſces. Humaniores ille addidicit litteras, rhetoricam docuit, ſeque faſſus eſt legiſſe Terentium. Hinc laetantur omnes ſe virum in Auguſtino nactos eloquentiſſimum, qui non ſecus ac Ambroſius, per quem è Manichaejo acerrimus Chriſtianae fidei propugnator evaſit, in ſacris pertractandis ideo excelluit argumentis, quia profanos ſcriptores diu multumque verſavit. Quare ejuſmodi ſtudiorum exemplum alios ſequi neque pudeat unquam, neque poeniteat: Excitat illud quidem omnes divini verbi praecones, hortatur, docet quantopere interſit ſacras profanis litteris jungere. At vereor ne memoria forſitan excidat, mi Caſati,

ma-

magnum Ambroſii nomen, ejus nimirum, qui non modo Auguſtinum Chriſtianae peperit religioni, ſed Mediolanum patriam tuam moribus, & eloquentia nobilitavit. Tu probe noſti quanta animi voluptate tui populares memoria recolunt quo mentis ardore liberalibus primum diſciplinis Romae eruditus veram ubicunque vulgaverit fidem, atque ad eam eleganti omnino ſermone Arianos, qui turbas excitaverant maximas, revocaverit bene multos. Verum & alios, mirabilia quum verba profuderit, in officio valuit continere, atque in improbos, ac ſeditioſos animadvertere, qui pervicaci animo religioni Chriſtianae nefarium, impiumque indixerant bellum. Sed illud quidem memoria viget adhuc civium Mediolanenſium, Ambroſium nempè nonnihil palam protuliſſe frequentius, non modo ut in tetram temporum calamitatem inveheret, ſed ut verbis aptioribus jacentes erigeret, formidantes conſolaretur, & in propoſito confirmaret. Ea demum, quae pie non minus, quam erudite conſcripſit, quaeque Mediolanenſes tui perlegenda, & explananda jure optimo tradunt navis, induſtriis, ac bene moratis adoleſcentibus, oſtendunt apertius a ſacris exercitationibus non multum, ſi bene, moderateque uſurpaveris, diſtare profanas. Hac de re haec habui, quae ſcriberem, eadem ferme cogitandi ratione perrecturus a dalia, ſi haec ipſa non diſplicuerint; quae quidem, ſiquidem longa haec nimium evaſit epiſtola, in alteram differemus. Quod ſi paucula commemorare libuit exempla hominum, quorum ſanctitatem dum veneramur in templis, ingenium quoque admiramur in ſcriptis, atque profana illos, ne poeticis quidem exceptis, non deſpexiſſe ſtudia planè vides, haud temere eſt

ſi quum animum ad ſcribendum appuli rem attigerim, quae ab inſtituto noſtro neque aliena videtur, neque diſſentiens. Ego ſanè vellem potuiſſe melius obſequi opinioni tuae: Neque enim arbitror noluiſſe. Sed jam ſatis verborum eſt. Numquid aliud? Hoc interim cogita, & fruere libenter verſiculis conſcriptis a Giacomellio, fruere itidem, ſi lubet, adjectis animadverſionibus, & me, ut ſoles, ama. Te vero adhuc aetate florentem fortunet Deus, ſuoque numine tuis praeſit laboribus. Vale. Sed heus tu mane pauxillulum. Valde aveo ſcire quid agat Friſius noſter, quid Moſcatius, quid Vidmanius, quos meo nomine jube ſalvere plurimum. Non enim immemor ſum amicitiae, mutuaeque benevolentiae, quae noſtros olim quum alligaſſet animos nulla unquam patietur oblivione deleri. Iterum bene vale, & reſcribe.

EIDIB. SEPTEMBR. MDCCLXXVI. PISTORI.



VER-

Digitized by Google

VERSICVLI

QVIBVS POPVLO EDICTVM EST DE PHORMIONIS FABVLA AGENDA.

QVi Militem (*a*) Plautinum ante
hoc triennium,
Exin favore, & opibus Summatum (*b*) Virum,

EIVS

(*a*) Miles glorioſus, ſive *pyrgopolinices* ob victoriam turrium, & urbium, ſic dictus a πύργος, πόλις, & νίκη, ſive potius ἀλαζὼν *jactator* Plauto praebuit argumentum comoediae, quae ferocem exhibet ſtrenui militis animum, ſeu potius *militem*, ut verbis utar Sidonii Apollinaris, *comicum ferociſſimum* Epiſt. L. I. ep. IX. qui ne ſuperbiam quidem quum ſumpſiſſet quaeſitam meritis, ſed jactantiae litaſſet impenſius, ridiculos fecit homines. Hinc *deforme eſt*, ut cum Cicerone loquar, *de ſe ipſo praedicare, falſa praeſertim, & cum irriſione audientium imitari militem glorioſum*. De Offic. L. I. n. XVII.

(*b*) Summo nempè genere natorum. *In comoediis* (ut cum Symmacho loquar. *Epiſt. L. I. ep.* XXXI.) *ſummatem quidem gloriam ſcriptores tulerunt*. Inſuper *iſtas videas* (Lenae Plautinae allocutio cum Silenio, Gymnaſioque) *ſummo genere natas, ſummates matronas*. Ciſtellar. Act. I. ſc. I. v. XVII. *Nunc tibi haec ego loquor* (ſunt Calidorii adoleſcentis verba) *deliciae ſummatum virum*. Pſeudol. Act. I. ſc. II. v. XC. At Plautinae verſiones inter ſeſe conferri debent Gallico praecipue peractae idiomate per Daceriam, Coſtejum, Limierſium. *Favore*, inquit

Gia-

EIVS praeſertim Imperium (*a*) qui ſummum tenet ,
Suſtentati (*b*) , Rudentem (*c*) , & Aulul ariam (*d*) ,
Terentiique Adelphos proxime egimus ;

Iidem

Giacomellius , *& opibus ſummatum virum , ejus praeſertim imperium qui ſummum tenet , ſuſtentati* , alludens ad imperium Clemen is XII. eo tempore P. M. quo fabulae actae ſunt . Hinc imperium ſummatum ad eos pertinet , qui ſunt regendis populis deſtinati , atque adeo *imperium* olim *ſummatum* , ex mente Lucretii , *quiſque petebat* . De rer. nat. L. V. v. MCXLI.

(*a*) *Nec meum imperium : Age mitto imperium* . Terent. Phorm. Act. II. ſc. I. v. II. Ad poteſtatem refertur ſummam ex Terentii MSS. Linſienſibus .

(*b*) *Omnem familiam ſuſtentat* . Terent. Adelph. Act. III. ſc. IV. v. XXXVI.

(*c*) Plautinae titulus fabulae elegantioris . Prodit in ea in ſcenam piſcator , qui rudente *de mari* (ita Priſcianus) *extraxit vidulum , ubi erant herilis filiae crepundia* . Argum. Rudent. v. I.

(*d*) In hac ſenex deſcribitur avarus cognomento Euclius , qui repertam domi ollam auri plenam huc illucque aſſervare nititur , *rurſumque penitus conditam exanguis , amens ſervat* . Priſcian. Argum. Aulular. v. III. *A cui di nuovo ſotterrata pallido , ſemivivo , ed impazzito ſta ſempre a far la guardia* . Sic Guazzeſius Italice . Factum non immerito ut Terentianis Plautinas adjungerent fabulas juvenes Latinae linguae perdiſcendae cupidi , quos Romanorum academia in ſocios jamdiu cooptaverat ſuos : Etſi enim artificem Terentio meliorem Latini ſermonis nullum haberi , ex eoque Romani comparari puritatem ,

atque

atque elegantiam eloquii Eraſmus, Melanchthon, aliique perplures conſentiunt, eſt tamen Plauti *lepos Atticus*, ut verbis utar S. Hieronymi, *& muſarum, ut dicunt, eloquio comparandus*. Epiſt. L. II. ep. v. ad Pammach. Neque improbari debet Aululariae, glorioſi Militis, Pſeudoli, Rudentiſque delectus, cujus meminit Giacomellius, quum in iis maxime comoediis eniteat ſcriptoris lepor, venuſtas, elegantia, atque ille *homo* vocetur *linguae, atque elegantiae in verbis Latinae princeps*. Gell. Noct. Attic. L. VIII. c. XVIII. ac ſimplicior habeatur quoque Terentio. *Racin. Praef. de Berenic.* Sed inſuper *Plautinae dictionis genus* (ita Scaliger. *De poet. L. VI. c.* II.) *non eſt noſtrum emendare, qui illi ſanè barbari ſumus, aut ſi Latini, Latini certe illius beneficio*. Illi vero, *qui Plautum*, inquit Meurſius, *comoediae Latinae parentem deſpectui habent, de Apuleii mihi proſapia videntur, ideſt inter aſinos praecipui*. De poet. Et ſanè in Plautinis ſcriptoribus non modo *proprietas*, adnotante Camerario, *& natura linguae Latinae conſpicitur* Var. coll. ſed nihil eo praeeunte *ad locupletandam orationem Latinam, & facilitatem ſermonis, copiamque verborum poteſt eſſe utilius*. Sadolet. Epiſt. Quoniam vero trahit ſua quemque voluptas, nil mirum ſi aliis Terentianae magis, Plautinae aliis comoediae placuerint. Id certum Plautum proletariis aliquando verbis, dum fabularetur cum populo, omnium vitia, virtuteſque ita perſtrinxiſſe, humanae ut vitae praecipuas vices jactaret in vulgus, de cultioribus vero erudiendis hominibus, eorumque moribus emolliendis ſerio cogitaſſe Terentium, factumque ut Hecyra, quae plebeiis diſplicuerat, regiis tamen in aulis communes extorſerit plauſus. Eam fortaſſis ob cauſſam plus eſſe judicii teſtatus eſt Eraſmus *Epiſt. L.* XXVIII. *ep.* XX. in una comoedia Terentiana, quam in Plautinis omnibus, propterea quod *ut rebus verba Plautus* (ita ſentit Scaliger, qui non ſecus ac Eraſmus geſtabat frequenter manibus Terentii ſabulas) *ſic res verbis accommodaſſe videtur Terentius*. De poet. L. VI. c. II. Hinc longe videri poteſt omnibus palmam praeripuiſſe Teren-

Digitized by Google

Iidem Phormionem (*a*) acturi nunc ſumus.
Quae veſtra nos ad hanc diem adjuvit (*b*)
comitas,
Aequanimitaſque (*c*), eadem freti (*d*)
fabulam

Bo-

rentius ipſe, cujus ſine voluptate ſumma moratum nec legere, nec recordari poſſumus ſermonem a Tullio tantopere commendatum. *Epiſt. ad Attic. L. VII. ep.* III. *An Synephebos ego* (ideſt Tullius) *potius Coecilii, aut Andriam Terentii, quam utramque Menandri legam?* De Finib. L. I. n. VI. Videndum denique quid de Terentio ipſo ſentiat Gravina. *Dell. ragion. poetic. P. I. p.* LXXXIX.

(*a*) Quem Latini Phormionem nominant Graeci dicunt ἐπιδικαζόμενον, quod idem eſt ac *ſententia*, ſeu *judicium*. Fabulam Graecam ex Apollodoro deſumptam Latinam fecit Terentius, appellatamque voluit Phormionis titulo, *quia primas parteis* (ſunt illius verba) *qui aget is erit Phormio paraſitus, per quem res geretur* (alii legunt *agetur*) *maxume*. Prolog. Phorm. v. XXVIII. *Poiche quella* (hoc pacto vertendum cenſeo) *che farà le prime parti, ſarà un paraſito chiamato Formione, da cui reſterà teſſuto tutto l' intreccio*.

(*b*) *Itane* (ſic Antipho) *hunc patiemur, Geta, fieri miſerum, qui me dudum, ut dixti, adjurit* (pro *adjuverit*) *comiter*? Terent. Phorm. Act. III. ſc. III. v. III.

(*c*) *Aequanimitas veſtra, poetae, ad ſcribendum augeat induſtriam*. Terent. Prolog. Adelph. v. XXIV. *Bonitaſque voſtra adjutans, atque aequanimitas*. Prolog. Phorm. v. XXXIV. Ex Donato ſupplendum eſſe *aequanimitas veſtra* compertum eſt; quam quidem lectionem etſi rejecit prae caeteris Weſterhovius *Comm. in Terent. Adelph. p.* DCXLV. fatetur tamen eam ſe vidiſſe in MSS. Boender-

Digitized by Google

Bonam, bonos (*a*) quae decet, & moratam (*b*) bene,
Quotquot boni adfuiſtis nobis antea,
Spectatum itidem ut veniatis, & ad antiquum gregem (*c*)
Benigne (*d*) ut operam detis, opere maxumo.

Vos

dermakerii, eamque non omnino fuiſſe rejectam a Boeclero.

(*d*) *Vobis fretus*. Terent. Eunuch. Act. V. ſc. VIII. v. XXXIII. Eadem prorſus conſtructione, ſed contraria ſignificatione ad aliud alludens utitur idem Terentius hominem commemorans, qui *malitia fretus ſua inſidias . . . fecit*. Phorm. Act. II. ſc. I. v. LIII.

(*a*) Quod bonos decet, beneque moratum eſt, placere bonis quum debeat, poetas impellit ad bene ſcribendum, bonis ut melius placeant: *Si* enim *quiſquam eſt*, ut Terentium ſequar, *qui placere ſe ſtudent bonis quam plurimis, & minime multos laedere, in his poeta hic nomen profitetur ſuum*. Prolog. Eunuch. v. I. Hinc Lipſius *ſi quiſquam eſt*, inquit, *qui probari ſe cupiat probis oratione, vita, ſcriptis denique, in his audacter nomen profiteor meum*. Praef. in epiſt. quaeſt.

(*b*) *Quibus moratam moribus?* Terent. Hecyr. Act. IV. ſc. IV. v. XXII. *Filium . . . . moratum*. Plaut. Prolog. Aulular. v. XXI. *Mulier . . . . nequicquam exornata eſt bene, ſi morata eſt male*. Moſtell. Act. I. ſc. III. v. CXXXII. *Si incolae bene ſunt morati*. Perſ. Act. IV. ſc. IV. v. VI.

(*c*) Vid *Giacomell. Verſic. in Eunuch. v.* III.

(*d*) *Quod opus ſit benigne praebeatur*. Terent. Hecyr. Act. V. ſc. II. v. I.

R (*a*)

Vos omnes oratos (*a*) volumus, aequiſſimi Patroni (*b*) noſtri, favitores (*c*) optimi.

(*a*) Pythias apud Terentium *Thais*, ait Chremeti, *maxumo te orabat opere, ut cras redires*. Eunuch. Act. III. ſc. III. v. XXVI. *Oratum a vobis volo*. Plaut. Prolog. Amphitr. v. XXXIII. *Vos omnes opere magno eſſe oratos volo benigne ut operam detis ad noſtrum gregem*. Caſin. Prolog. v. XXI. Praeeunte Plauto iisdem fere verbis loquutus eſt Giacomellius, quae antea imitatus maxime fuerat Gualfreduccius Piſtorienſis: In verſione namque Latina tragoediae Oedipi nomine inſignitae, quam Sophocles olim Graece conſcripſerat, ait: *Me omnes* (ſermonem habet cum Oedipo Creon) *amant, adeuntque me quicumque te oratum volunt*. Act. III. ſc. II. v. LXVI.

(*b*) Defenſores nempè, quos ſibi quondam adoptabant Romani ut cauſſas agerent, quum eorum patrociniis valdè confiderent. Vnde Thais Chremeti, Pythiaeque dicit *opus patrono eſt, quem defenſorem paro*, ipſique Thaidi ſubjungit Chaerea *te mihi patronam cupio*. Terent. Eunuch. Act. IV. ſc. VI. v. XXXII. Act. V. ſc. II. v. XLVIII. *Tu es patronus*. Adelph. Act. III. ſc. IV. v. X. *Iſtum patronum*. Phorm. Act. II. ſc. I. v. LXXVII. Patroni vero nomen Terentio familiare mutuati ſunt ſcriptores a dominio in ſervos, quales ſaepe erant fabularum actores, & qui muſicam maxime artem, & hiſtrionicam profitebantur impenſius, qualis revera fuerat jam Terentius ipſe, qui Afer quum eſſet, atque referente Donato *Terent. vit.* Carthagine natus *ſervivit Romae Terentio Lucano ſenatori, a quo ob ingenium, & formam non inſtitutus modo liberaliter, ſed & mature manumiſſus*.

(*c*) Plautina vox. *Si quoi* (pro *cui*) *favitores* (alii legunt *fautores*) *delegatos viderint ..... virtute ambire oportet, non favitoribus. Sat habet favitorum ſemper qui recte facit*. Prolog. Amphitr. v. LXVII. LXXVIII.

FINIS VERSICVLORVM IN PHORMIONEM.

PAGNINIO SVO MATANIVS.
S.

PARMAM.

NOn eſſet cur longa epiſtola deberem aſſiduis obſtrepere occupationibus, quibus in explanandis Graecis, Latiniſque ſcriptoribus diſtineris. Dandae tamen ſunt etiam amicis aliquot horae; quod quidem ſi deſeras ſubruſticus videare. Cave putes, mi Pagnini, me in academia Piſana degentem, ubi publice, privatimque medicinam docens, & reliquis litterariis vacans exercitationibus otium optare nequeo, te in Parmenſi erudiendis juvenibus humaniores litteras addiſcentibus occupatum ab ſtudiis abſtrahere velle ſeverioribus. Sed jam aeſtivis indictis, jamque ad exitum fere properantibus feriis libere tecum agam. Tu velim tibi perſuadeas mihi cordi eſſe ut ſine moleſtia ulla certemus nobiſcum benevolentia, & amore, ut quae olim amicitiae noſtrae fundamenta jecimus, ea confirmemus, atque etiam augeamus in dies. Superiori epiſtola ad VIII. Kal. Majas te etiam atque etiam monui velles novum Phormionis Terentiani prologum per Giacomellium municipem noſtrum perquam eleganter elucubratum tuo nomine condecorari, eam in ſpem adductus tibi laborem hunc non improbatum iri, qui videres ſcilicet eum ad te maxime pertinere. Neque renuendum tibi erat, qui Phormionis ejuſdem fabulam vernaculo ſermone converteras. Illuſtriores certe tuos in Terentium fuiſſe video, atque aliorum Piſtorienſium conatus, quam qui a me explicari poſtulent. Elegantiſſimam comoediarum omnium

verſionem jamdiu peregerat Forteguerrius, tu vero Phormionis alteram, prologos Giacomellius. En quantum de egregio latinitatis ſcriptore bene ſe meritos fateantur qui in urbe eadem nati, & alti quum ſint inſigniora nonnullis praebent optimorum ſtudiorum exempla. Laudem iſthanc quoque maximam patriae noſtrae tribuendam cenſeo quod Andreinium ſuſpexerit comicorum Italorum facile principem, cui Ferrandinius accenſendus, atque Ghirlandius. Quae quum ſcribo velim ne putes me his commendatis Bracciolinios parvipendere, Panciatichos, Gualfreduccios, Cammellios tragoediarum ſcriptores non contemnendos, & reliquos bene multos induſtrios, ac diligentes, ne ipſo quidem excepto Giacomellio. Huic ſi non comicas, tragicaſque lucubrationes, earum tamen verſionem aliquam, Aeſchyli maxime, ac Sophoclis è Graeco in Italicum idioma debemus. Neque erit, opinor, qui audaciae arguat conſilium meum novos ejuſdem prologos illuſtrandi, quos lepor, non ſecus ac Plautinos, & Terentianos, exornat, venuſtas, nitor, & elegantia. Ego eum tanti facio quanti quis alius. Age vero quam multa in eo familiaria, quam multa perſpicua, quam multa eloquenter expoſita, quae ſi ad Romani normam ſermonis transferas, ſolidioribus ejus exponendi rationibus famulantur. Nae ſentis quod in litteras toto pectore dum incumberet, ſtudioſe admodum in libris elegantioribus ſermonis captavit floſculos, delectumque verborum. Verum non aureae ſolum, ut dicunt, aetatis eatenus amavit ſcriptores, ut prae illis nihili fermè duceret reliquorum perſcribendi rationem. Immo vides ineſſe miram in amore ejuſmodi voluptatem, prorſus ut quantiſlibet preſſus

ſubli-

ſublimiorum ſtudiorum curis, ac moleſtiis collatorum ſibi munerum fatigatus aſſiduae eorumdem lectioni vacaret impenſius. Neque ita eum ſcripſiſſe dixerim, ut non verba, quae funderet, rebus aptaſſet. Perſpicies enim ab frequenti ejus generis ſcopulo declinaſſe magnopere Giacomellium. Quam vere haec per me dicta, quam praeſtita ab eo fideliter teſtantur bene multae lucubrationes. Ipſum do teſtem Phormionis prologum. Non enim tam puſillo, jejunoque ingenio ſum, verae ut in eo, ſolidaeque ſcriptionis robur non ſentiam, neque rurſus tam ſublato animo, ut per ſummam injuriam velim juſtam, quam meretur, laudem praetermittere. Perleges, ſi tibi vacuum fuerit, animadverſiones meas, qualeſcumque ſint, prologo adjectas, quibus peto abs te addas judicium tuum, in quo aeque jucunda mihi erit ſinceritas diſſentientis, quam comprobantis auctoritas. Tempus reapſe tempori, ut ajunt, ſubripiendum fuit, tum ut ea è Plautinis exſcriberem, ac Terentianis fabulis, quibuſcum pulchra videtur in Giacomellianis prologis concertatio, tum ut complura inter ſeſe invicem conciliarem, quae nullibi invenies, niſi antiquiores evolvendo comicarum rerum ſcriptores. Quod idem dicito de rebus aliis, quas ut ex commentariis referrem alienis moleſta perſaepe oportuit ſcribendi celeritate convolvere. Quam voluiſſem otio abundare, ut modo mihi ipſe fortaſſe non diſplicerem poſt tam inconſulte, tam feſtinanter ceptum conſilium! Hui timidum ais hominem. Quidni? Non inficior. Sed tute vides timidos ejuſmodi homines, ſuae ſi plerumque opinioni largius indulgeant, deſpondere facile animum, ſibique ipſis interdum, atque aliis itidem diſplicere. Si quis tamen, ne multus videar, quod tibi ſcripſerim ſecus ab opti-

ma

ma voluntate acceperit, aut maligne aliorſum detorſerit, graveſque fortaſſis ſuſpiciones alias tibi de me injecerit, meo nomine calumniarum arguitor, & nefarius detractor, ſanctaeque amicitiae hoſtis habetor. Sed plura otioſus. Accepi libenter, legique libentius Santorinii librum a Girardio evulgatum, illuſtratumque, a percelebri nempè viro, quem in academia Germanica, quam dicunt naturae curioſorum, jam ſocium habueram; mihi gratulor etiam quod in arctiorem clientelam viri ſuaviſſimi, atque optime de re anatomica meriti nunc tuo ſim favore receptus. Eum hac de re certiorem facito, & ne mihi ingratum exprobret animum debitas agito gratias, meiſque verbis ſalvere jubeto. Vtinam is eſſem, quem ille pro ſingulari humanitate ſua facile putat! Paribenius noſter per me ſtatim tuo nomine ſalutatus dedit hoc mihi negotii te ut juberem ſalvere plurimum. Tu modo enitere ut fermè peractam, & diu expectatam Theocriti, Bionis, Moſchii, Simmiae verſionem ornare pergas, emiſſamque inde in publicam lucem litteratis hominibus, quibus poetica arridet facundia, legendam exhibeas. Subnectes etiam, opinor, Italice redditum, uti ſpoponderas, Alſworthii librum, cujus ope Latinis Virgilii carminibus Britannus ille poeta Graecam Theocritea imitatione conciliaverat venuſtatem. Si quidpiam eſt, mi Pagnini, in quo tuis inſervire commodis poſſim, utere jure tuo, quod tibi conſtituit ſumma humanitas, mira comitas, ſuaviſſima morum facilitas, uno verbo egregia indoles tua, quae amores planè mirabiles excitat ſui. Omnes, qui te norunt, ſtudio, & benevolentia colunt; qui vero mihi ſint in te amando pares perpaucos eſſe puto, fortaſſe neminem. Fac valeas, meque mutuo diligas.

PISTORIO XVIII. KAL. OCTOBR. MDCCLXXVI.

PROLOGVS PHORMIONIS

DICTVS QVVM FABVLA DARETVR POPVLO.

POſtquam probari vulgo noſtrum ſenſimus
Studium (*a*); viroſque, qui ſunt in ſenioribus (*b*)
Tueri, & adjutare (*c*) induſtriam Gregis No-

(*a*) *Adoleſcentuli ut animum ad aliquod ſtudium adjungant*. Terent. Andr. Act. I. ſc. I. v. XXVIII.

(*b*) *Edimus comoediam*, inquit Plautus, *quam vos probaſtis, qui eſtis in ſenioribus*. Prolog. Caſin. v. XIV. Atque ut res intelligatur, ad quam cum Plautus alludit, tum Giacomellius, meminiſſe oportet cenſum ab Servio Tullio Romae rege inſtitutum, quo populus adnotante Livio *Hiſt. Rom. Dec. I. L. I.* in claſſes aetati quorumcumque hominum reſpondentes deſcriptus eſt. Hinc aetatem nacti provectiorem in ſenioribus, ſive in claſſe dicebantur eſſe ſeniorum.

(*c*) Locutio, quae monente Caſaubono *Adnot. in Hecyr.* a Terentio transfertur ad pondera: Pamphilus enim Parmenoni imperat ut *pueris currat obviam, atque bis onera adjutet*. Hecyr. Act. III. ſc. II. v. XXVI. *Tu Parmenone* (en Bargalliae verſionem) *va corri incontro a què miei ſervi, e ajuta loro a portar quella roba*. In aliquibus Codd. habetur *adjuvare*, *auxiliari*, *jutare*, *dejuvare*, & *conjutare*. Aſt cir-

Noſtri ; ſibi nec quidquam quemque parcere
Pecunia , labore , opera , qua quiſque poteſt ,
Ne perjucunda , & exoptata tantopere
Deſit voluptas literatis auribus ;
Neve relangueſcat adoleſcentium alacritas ,
Sibi qui non parare inanem gloriam ,
Sed Romani ſermonis elegantiam ,

Et

circa multiplicem ejuſmodi varietatem ea perlegenda , quae ex Wielingio , &. Rouwio deſumpta laboribus Falkenburgii , Gruteri , Gujeti , Pulmanni jamdiu ſuperſtruxerat Wetterhovius , utpote qui MSS. Codd. Leydenſes , Lipſienſem , Bodlejanum , atque Markianum excuſſerit , fidemque Schraſbruchiano , Witiano , caeteriſque bene multis minime denegaverit . Sed vocem alio ſenſu uſurpatam proprio aptavit Phormionis prologo Giacomellius . Sanè Terentius malevolam quorumdam invidiam coercere ſtudens , qui in Adelphorum perſcribenda fabula eum nobilium hominum , Scipionis ſcilicet Africani , Laelii , Sulpicii Galli , Fabii Labeonis , Popiliique , quibuſcum , utpote conſularibus viris , atque poetis , juxta Donatum *Vit. Terent.* familiariter vixerat , opera fuiſſe uſum dictitabant , falſum eſſe aſſerit *quod iſti dicunt malevoli , homines nobiles eum adjutare , aſſidueque una ſcribere* . Prolog. Adelph v. xv. *Dai ſuoi malevoli* (en Forteguerrii poeſim) *per biaſimarlo ſi cinguetta , e mormora che uomini illuſtri per potenza , e naſcita l' ajutino a compor le ſue commedie* . Eadem omnino ſignificatione , qua auxilium indigitari ſolet , dixit Terentius ipſe : *Neque .... quiſquam aderat , qui adjutaret funus* . Phorm. Act. I. ſc. II. v. XLIX. *E neſſun v' era* (verſio Pagniniana) *ad ajutar l' eſequie* . Quod quidem de auxilio ferendo expreſſit etiam Lucretius dicens : *Adjutamur enim dubio procul*

Et caſtitatem conantur adipiſcier (*a*);
Iis injectus ardor eſt incredibilis
Tum maxume, cum nuper praeter ſpem (*b*) ſibi
Locum hunc virtute (*c*) primorum (*d*) virum dari
Renunciatum eſt (*e*), copiamque (*f*) denique

Re-

cul, atque alimur nos certis ab rebus. De rer. nat. L. I. v. DCCCXII.

(*a*) *Bis judicium adipiſcier*. Terent. Phorm. Act. II. ſc. III. v. LVIII. Vt ſermonis Romani elegantiam, caſtitatemque Latini adipiſcerentur academici, eos hortari neceſſe fuerat ad Terentii lectionem, ejuſdem ut poſtea fabulas repraeſentarent. Haud alienum erat a bene moratis adoleſcentibus Latinos comicos nocturna, diurnaque manu verſari; ſiquidem S. Joannem Chryſoſtomum perlegiſſe eorum aliquos, maximeque Ariſtophanem, arbitratur Bengelius *Adnot. in Homil. ad popul. Antioch. Hom.* XX. atque idipſum comprobat Vavaſſorius. *De ludicr. dict. p.* LXXIX.

(*b*) Terentius: *Praeter ſpem* (ſcilicet aliter quam ſperabat) *evenit*. Andr. Act. II. ſc. VI. v. V. Heautont. Act. IV, ſc. I. v. LII.

(*c*) Auctoritate.

(*d*) *Sum apud te primus*. Terent. Eunuch. Act. I. ſc. II. v. IX.

(*e*) *Renunciabo ut pro hoc malo mihi det malum.... Quaſi non tibi renunciata ſint haec ſic fore.... Renunciatum eſt....Id ego jam nunc tibi renuncio*. Terent. Andr. Act. II. ſc. V. v. XX. Act. III. ſc. II. v. XIX. XXI. XXVIII. *Deliberet, renuncietque hodie mihi, velit ne, an non*. Hecyr.

Act.

Digitized by Google

Reliquas edendi Comicorum (a) fabulas. Nunc

Act. III. ſc. V. v. LVIII.

(f) Facultatem ſcilicet reliquas edendi fabulas comicorum veterum. Hinc conſilii facultatem, auxiliumque ſignificare Terentius volens Pamphilum inducit exoptantem *conſilii locum, & auxilii copiam*. Andr. Act. II. ſc. I. v. XXI. Alibi vero ſermonem ad ſeſe ipſum convertens, ubi Menandri fabulam emptam aſſerit ab aedilibus, ab eo nempè magiſtratu, qui ipſis quoque comoediis quum praeeſſet, ſcriptoribus earum, actoribuſque ſolvebat pretium, hoc ſe perfeciſſe fatetur *ſibi ut inſpiciundi eſſet copia*. Prolog. Eunuch. v. XXI. Inſuper *date*, inquit, *creſcendi copiam novarum qui ſpectandi faciunt copiam ſine vitiis*. Prolog. Heautont. v. XXVIII. Syrus autem *tecum ſine me* (reſpondit Clitiphoni) *ut ſit copia eſt*. & Menedemus *ne quam aliam* (Chremeti ſubdit) *quaerat copiam*. Heautont. Act. II. ſc. III. v. LXXXVII. Act. V. ſc. I. v. LIV. *Obſecrat* (ſic Geta) *ut ſibi ejus faciat copiam*. Phorm. Act. I. ſc. II. v. LIII.

(a) Non comicorum omnium extant fabulae; ſed tamen ex fragmentis, quae ſuperſunt, earum character agnoſcitur. Praeter Plautum, ac Terentium commemorant Gnejum Naevium Campanum hiſtorici, comicum perelegantem, qui gravi, eruditoque ſtylo comoedias exaravit maledicentiae plenas, eumque ſequutus Statius Caecilius Gallus eas optima donavit latinitate, quae Graece per Menandrum, Apollodorum, & Philemonem fuere conſcriptae. Neque improbatae illae ſunt a Romanis, quas Sextus Turpilius Sinueſſanus conſcripſerat, quippe qui poeta erat ingenio facili, doctioribuſque comicis accenſendus. At Lucius Afranius, Fabiuſque Dorſenus Romani ambo in togatis, ut inquiunt, elucubrandis comoediis excelluerunt, atque iis ex urbe Romana Quintum Atta, Vergiliumque adjungit antiquitas, viros nempè ſcriptione optima, ingenioque praeclaro praeditos. Excellens vero fuit in notandis hominum moribus Lu-

Nunc ſi quis eſt (*a*) , qui dicier ſibi velit ,
Gregi qui praeſit Hiſtricus tam barbarus ,
Nihil qui curat apparatum ſcenicum ,
Qui neſcit ecqui congruat Comoediae
Vetuſtae (*b*) , perſoniſque ornatus (*c*) , perperam

Co-

Lucius Pomponius Bononienſis , propterea quod Quintum Trabeam fuerat imitatus lepidum , elegantemque ſcriptorem . Denique poſt Guejum Aquilium rerum comicarum non ignobilem auctorem , non modo Caii Licinii Imbricis urbani fabularum exſcriptoris fieri mentionem animadvertimus , ſed etiam quidquid a Quinto Novio illuſtri atellanarum , ut vocant , comoediarum ſcriptore peractum eſt , relatum videmus .

(*a*) *Nunc ſi quis eſt , qui hoc dicat* . Terent. Prolog. Phorm. v. XIII.

(*b*) Quae immurmurarunt malevoli de perſonarum ornatu , & de apparatu ſcenico Romani theatri , ubi Latinae agebantur fabulae , ac ſi ignoraretur quid vetuſtae comoediae congrueret , a Giacomellio refellitur in his prologi verbis . Contemnebant quidem academici Latini rem hiſtrioniam , quaſi ludicram , & ſanè levem , neque temere affirmabant antiquo ſe ornatu in ſcenam prodiiſſe condecoratos . Haud aliter agendum Romae ab iis erat , qui animum ab ſtudiis ſeverioribus quum recrearent incorrupta litterarum praeconia tueri , ſcientiaſque non deſtiterunt alere nobiliores . Non ignorabant qui fabulis praeerant parum ſe habere , quod Athenienſibus inviderent , penes quos theatrum extiterat erudiendis Atticis deſtinatum *Plutarch. Vit. Theſ.* ubi magno plauſu fuiſſe novimus Menandri comoedias exceptas , ejus nimirum comici , quem Phrynicus Arabius ſophiſta Bithynus culpat tamquam minus Attice loquentem . Meminiſſe namque fatebantur M. Valerio Meſſala , Caſſio Longinio

ginio , & L. Mummio CENSS. primum Romae theatrum ad Graecam imitationem an. V. C. DCIX. exaedificatum , neque eos latere debuerat magnificentiſſimum aliud M. Aemilium Scaurum extruxiſſe *Plin. Nat. Hiſt. L. XXXVI. c.* XXV. aliudque Pompejum *Sueton. Vit. Jul. Caeſar. n.* I. atque alia tandem Marcellum , & Balbium . *Tertullian. De ſpectac.* Quum inſuper Latini peregerint academici quod per Livium Andronicum in remotioribus natum , altumque Graecorum finibus , & Romana tandem civitate donatum praeſtitum olim eſt . Eum etenim comicas primum, tragicaſque Sophoclis , atque Euripidis fabulas Latine redditas circa an. V. C. DXIV. an. I. olympiad. CXXXV. poſt initium primi belli Punici C. Claudio Caeci filio , & M. Tuditano COSS. conſtat fidelibus Romanorum oculis ſubjeciſſe . Hinc factum ut an. DXIX. in hoc peragendo Naevius operam locaverit ſuam , eumque circa an. DXLIX. Ennius fuerit imitatus , poſteaque Licinius , Caecilius , Pacuvius , Plautuſque rem confirmaverint , quam a Terentio circa an. DLXXXVII. abſolutam Latini tandem academici doctis plaudentibus viris ſunt proſequuti .

(*c*) *Hic ornatus eſt* . Terent. Eunuch. Act. III. ſc. IV. v. VIII. Perſonarum ornatus varius elapſis retro temporibus fuit , prout varietas temporum exigere viſa eſt , primique egiſſe perſonati creduntur comoediam Cincius , & Faliſcus , tragoediamque Minutius , atque Prothonius . At Choerilum Athenienſem circa olympiad. LXV. ii ſcenicas inchoaſſe autumant larvas , pergratas quidem adſpectu , qui ab Aeſchylo inventas pernegant , utpote quas ita deformes excogitaverit , praegnantes ut foeminas , in ſcenam introductae dum fuerint , abortum feciſſe memoriae proditum ſit . *Mariſcott. De perſon. & larv.* c. I. *p.* IV. *Gentil. De actor. & ſpect. fabul. non notand.* Ejuſmodi vero ornatus pro ſervili habitus eſt , diuque viguit uſque dum imperatorio probatus exemplo penes Romanos ad primates quoque viros tranſierit , quum Neronem adſpexerint perſonatum ceciniſſe tragoedias . *Sueton. De Caeſar. L. VI. n.* V. Comoediam autem vetuſtam , perſonaſque multiplex ſanè decebat ornatus ,

de

de quo permulta maxime collegerunt Graevius, atque Gronovius. *Theſaur. antiqu. Graec. & Rom. cum ſuppl. Sallengr. & Polen.* Ad eas tamen perſonas quod attinet, quae ad Terentii fabulas reducuntur, praeter eas, quae in Vaticanis extant Codd. quaſque ſe vidiſſe teſtatur Pacichellius *De larv. C. IV. p.* LVI. ejuſque poſtea municeps Forteguerrius in lucem protulit, aliae nunc Romae ſpectandae ſe offerunt extra templum *aracaeli* nuncupatum, ubi adſpicitur gentile ſepulcrum ad Terentii fortaſſe tempora reducendum, & in via Appia quondam repertum, in quo variae ſcenicarum effigies perſonarum repraeſentantur. *Berger. Comm. de perſon. vulg. larv.* Aſt de ornatu multiplici veterum comicorum compluria congeſta leguntur apud ſcriptores, è quibus eruitur eorum praeſtantiam ejuſmodi fuiſſe ut decentius ornatos, & comicas, tragicaſque perſonas communi plauſu repraeſentantes, quin & foeminas ipſas dulce canentes, pſallentéſque, publica inſcriptio aliqua redderet praeſtantiores. Et quoniam haud pauca ejus rei monumenta ſuperſunt, quae in marmoreis etiam, lapideiſque inſcriptionibus reperiuntur, eorum unum cenſeo referendum in agro Romano non procul a via Appia in ea olim repertum, effoſſumque plaga, quae ad familiam pertinet Columnenſium. En quae ibidem leguntur:

L. AGILIO . L. F. POMPT. EVTYCHE . NOBILI . ARCHIMIMO
COMVN . MEMOR. ADLECTO . DIVRNO . PARASITO . APOL.
TRAGICO . COMICO . PRIMO . SVI . TEMPORIS . ET
OMNIBVS . CORPORIS . AD . SCAENAM . HONOR.
DECVRIONI . BOVILLIS . QVEM . PRIMVM . ADLECT.
PATRE . APPELLARVNT . ADLECTI . SCAENICORVM
EX . AERE . COLLATO . OB . MVNERA . ET . PIETATEM
IPSIVS . ERGA . SE . CVIVS . OB . DEDICATION.
SPORTVLAS . DEDIT . ADLECTIS . SING. XXXV. DECVR.
BOVILI . SING. X. V. AVGVSTAL . SING. I. DEDIC. III.
IDVS . AVG. SOSSIO . PRISCO . ET . COELIO . APOLINARI
COS. CVRATORE . Q. SOSTO . AVGVSTIANO.

Digitized by Google

Comoediamque antiquam diſpertiverit
Novo, miroque modo; quique audaciter (*a*)
Vetuſtis libris abrogaverit fidem (*b*):
Pur-

Cantrix Palladinia, de qua Dondorius *Dell. piet. di Piſt. P. II. p.* CCCL. (de recentiorum Chriſtianorum loquor temporibus, deque foemina Piſtorienſi) Florentiae in S. Felicitatis ſepulta hanc promeruit inſcriptionem:

D. O. M.
ARCANGELA . PALLADINIA . IOANNIS . BROOMANS
ANTVERPIENSIS . VXOR . CECINIT . HETRVSCIS . REGIBVS
NVNC . CANIT . DEO . VERE . PALLADINIA . QVAE
PALLADEM . ACV . APELLEM . COLORIBVS . CANTV
AEQVAVIT . MVSAS . OBIIT . AN. AETAT. SVAE . XXII.
XVIII. OCTOBR. MDCXXII.
SPARGE . ROSIS . LAPIDEM . CAELESTI . CICONIA . CANTV
THVSCIA . IACET . SYREN . ITALA . MVSA . IACET .

(*a*) Chremes ſenex cum Menedemo altero ſene familiare agens colloquium facere ait ſenilem amicitiam ut *audacter* (in veteribus Codd. legitur *audaciter*) moneat eum, & *familiariter*. Terent. Heautont. Act. I. ſc. I. v. VI.

(*b*) Rationes nempè infirmaverit, quibus obtineri ſolet ut vetuſtae credatur auctoritati librorum. Nec mirum ſi conatu aliquo tam multa illata crimina, & a publico errore manantia argute purgare debuit Giacomellius, propterea quod *opinionem aliquam* (ſunt Concii Piſtorienſis verba) *quae publico errore non rem attente conſiderantium invaluit, apte reſcindere gravioris eſt argutiae*. Tract. rhetor. T. II. c. III.

(*a*)

Purgare ſi tam multa poſſim crimina (*a*)
Conabor: ac primum id ſibi reſponſum habeat:
Nemo nos inter regnat, nec quiſquam fuit
Apud nos, qui regnarit antehac, nec erit.
Si cui, via quae ſit recta (*b*) ad eloquentiam (*c*)
Monſtrare nobis lubeat; imperator (*d*) is
Eſto noſter, vel ſi id malit dominus (*e*) ſiet (*f*):
Nil eſt, aeque Grex (*g*) noſter quod faciat lubens,

Quam

(*a*) Suſpiciones. *In crimen veniet*. Terent. Hecyr. Act. III. ſc. I. v. LV.

(*b*) Vſitata, & communis, quae ab Terentio *via* dicitur *pervulgata*. Heautont. Act. I. ſc. I. v. XLIX.

(*c*) *Ea eloquentia eſt*. Terent. Phorm. Act. IV. ſc. III. v. XXIV.

(*d*) *Haud convenit una ire cum amica imperatorem in via ..... imperatoris virtutem noveram*. Terent. Eunuch. Act. III. ſc. II. v. XLII. Act. IV. ſc. VII. v. VIII.

(*e*) *Hunc eſſe domini .... domini ſimilis .... domini ubi abſunt*. Terent. Eunuch. Act. III. ſc. II. v. V. XXXIII. XLIII. LII. *Hoc pater, ac dominus .... dominum, atque omnem familiam .... quot mihi ſint domini .... cui dominus curae eſt*. Adelph. Act. I. ſc. I. II. v. LI. IX. Act. IV. ſc. II. v. XVI. Act. V. ſc. VI. v. VI. *Dominus aedium*. Phorm. Act. V. ſc. I. v. XXVI.

(*f*) *Siet* pro *ſit* non improbatur a Cicerone *De orator.*

c.

Quam ſeſe ut illi tradat deditirium (*a*).
Nos litteras amamus: hiſtrioniam (*b*)
Contemnimus (*c*) rem ludicram (*d*), &
ſanè levem.

Nec

t. XLVII. hancque ſcribendi rationem paſſim in vetuſtis leg, lapidibus, & in fabulis maxime Plautinis. *Timeo quid ſiet*. Prolog. Mercat. v. CIX.

(*g*) Vid. *Giacomell. Verſic. in Eunuch.* v. III.

(*a*) Dicitur a Graecis ἔκδοτος, & locutio eſt veterum juriſconſultorum quempiam deſignans, qui in alienam ſeſe tradiderit poteſtatem.

(*b*) Plautus lepide dixerat *Jovem, atque Mercurium facere hiſtrioniam*. Prolog. Amphitr. v. CLII. Percelebris penes hiſtriones Graecos erat Antipho, quaſi dicas ἀπὸ τοῦ ἀντὶ, καὶ φῶς, cujus nomine adoleſcentem inducit verba facientem Terentius in Eunuchi, Phormioniſque fabula. Ejus fit mentio in Graeco marmore celeberrimo, ubi multa leguntur, quae ad artem pertinent hiſtrioniam. Apud Thebas Beotiae olim ad aulam regiam repertum è ſchedis Barberiniis retulit Muratorius. *Nov. theſaur. veter. inſcript. T. II. p.* DCLI. In eo autem ἀντιφῶν dicitur ἀθηναῖος ὑποκριτὴς καινῆς κωμῳδίας. Apud Romanos vero multiplices extant hiſtrionum inſcriptiones, quarum unam refero inſtar omnium:

M. AVRELIO . AVG. LIBERTO . COMMODIANO . MAXIMO
PANTOMIMO . ET . HISTRIONI . SCAENICO . ANN. XI. . . .
VIRIDIA . . C. LIBERTA . MVSICA . COMMODIA . DONATA .

(*c*) Penes Graecos ſcriptores perſaepe invenitur haec dicendi ratio, quae pro rei alicujus contemptu adhiberi a

La-

Latinis poſtea conſuevit, ſcilicet ἐπειδ' ὁ λᾶσος ἔιπεν, ὀλίγον μοι μέλει. *Ariſtophan. Veſp. v.* MCDII. Sed Giacomellius ipſe rem declaravit uberius, haec dum Aeſchyli verba in vernaculam linguam converteret ἐμοὶ δ' ἔλασσον μηδὲν μέλει. *Prometh. vinct. v.* CMXXXVII.

(*d*) Ars ludicra pro hiſtrionica maxime, & ſcenica ſumitur, quibus impenſe veteres dabant operam. *Pacichell. De larv. C IV. p.* L. Vnde artem facere ludicram idem eſt ac hiſtrionicam exercere, atque illa non ſemper ad actores pertinet fabularum, quos expertes artis ludicrae vocat Livius. *Hiſt. Rom. Dec. I. l.* VII. Hinc ſenex Euclio apud Plautum exclamat: *Continuo meum cor coepit artem facere ludicram*. Aulular. Act. IV. ſc. III. v. III. Quam quidem dicendi rationem in Etruſca Plautinae Aululariae verſione conſulto, ni fallor, praetermiſit Guazzeſius. Res vero ludicrae Romanos, Megalenſes, atque funebres ludos ſcenicos cumprimis ſpectantes ad quemcumque referri conſueverant, qui, ut ajunt juriſconſulti, *artem ludicram fecerit*, adeoque *in ſcenam ſaltandi, cantandive cauſſa prodierit*. Leg. XXIV. de adulter. Leg. XXVIII. de poen. Quod quidem vitium eſt ab inſtitutione primaeva degenerare, eo maxime tempore, quo hiſtriones, ut Livianis verbis res declaretur, non jam, *ſicut ante feſcennino ſimilem verſum, compoſitum temere, ac rudem alternis jacebant, ſed impletas modis ſatyras, deſcripto jam ad tibicinem cantu, motuque congruenti peragebant*. Hiſt. Rom. Dec. I. L. VII. Mos autem in ſcenam ſaltandi fuit invectus ut rerum per fabularum actores prolatarum patefieret imitatio. *Platon. De legib. L. VII.* Sic qui a Graecis pantomimi dicebantur, quaſi eſſent rerum omnium imitatores, manibus penè dixerim loqui conſueverant; unde è Graeco deducta voce vocati leguntur etiam chironomi. Ludicram hanc hiſtrionum artem per Batillum, Pilademque promotam Auguſti tempeſtate non ignoramus, ac penes Graecos unum dumtaxat de hiſtrionum cenſu aliquando ceciniſſe jambos, ſimulque ſaltaſſe erudimur. *Lucian. De ſaltation*. Demum tanta fuit olim vis ſaltationis, atque poteſtas, ut a ſolo Teleſte, cujus opera Aeſchylus utebatur,

Nec illi, primus qui perfecit Militem
Plautinum ut ſpectaretis (*a*) conſilii fuit
Quicquam aliud, quam ut nobis aeque ac
vernaculus (*b*)
Sermo latinus eſſet: gauderet quidem
Si adeſſet (nam diu eſt cum abiit domum
hinc (*c*) ſuam)

Qui

batur, quidquid Thebis peractum fuerat in ſcenica exercitatione graphice, concinneque repraeſentaretur. Verum tam hiſtrionica certamina, quam cuncta mimica ſpectacula vetuſtiſſimis quidem temporibus ſub dio peragebantur, donec ex apertis theatris ad ea traducerentur, quae poſtea aedilibus curantibus fuere tectis ampliſſimis cooperta. Revera in ruderibus Pompejanis prope Neapolim ſequens inſcriptio noviſſime reperta eſt:

C. QVINCTIVS . C. F. VALG. M. PORCIVS . M. F. DVO
VIR . DEC. DECR. THEATR. TECTVM . FAC . LOCAR.
EIDEMQ. PROB.

(*a*) Vid. *Giacomell. Verſic. in Phorm.* v. XI. Sic Terentius: *Rem cognoſcite, ut pernoſcatis .... ſpectandae, an exigendae ſint vobis prius* comoediae. *Prolog. Andr.* v. XXVII. Inſuper *ſpectatum*, ait, *ſatis putabam*. Andr. Act. I. ſc. I. v. LXIV. *Spectandum* (haec Plautina paraſiti verba) *ne cui annulum det*. Aſinar. Act. IV. ſc. I. v. XXXVI.

(*b*) *Et illud autem inſerviendum 'ſt conſilium vernaculum*. Plaut. Poenul. Act. IV. ſc. II. v. CV.

(*c*) *Abi hinc*. Terent. Andr. Act. II. ſc. I. v. XIX.

(*d*)

Digitized by Google

Qui vobis paullulum voluptatis dari
Videret ex hac re: ſed inde gloriam
Negaret ullam exiſtere adoleſcentibus
Noſtris: quod itidem ipſi quoque negant. Caeterum
Suas ſi noſtrum quipiam elegantius
Partes agunt; gaudere ſe primum autumant (*a*),
Quod vobis nonnihil placent: praeterea id haud
Aliunde quam a natura (*b*) habere praedicant.
Nec ſe debere (*c*) pluribus quoque negant (*d*)
Amicis, ſemper qui monuerunt, & monent
Vbi vel caſtigandus incitatior

Ge-

(*a*) *Facturum* (alii legunt *acturum*) *autumat*. Terent. Prolog. Heautont. v. XIX. *Quas ſi autumem omneis*. Plaut. Menaechm. Act. V. ſc. II. v. VII.

(*b*) *Itan'* (Menedemus apud Terentium) *comparatam eſſe hominum naturam omnium, aliena ut melius videant, & dijudicent, quam ſua?* Heautont. Act. III. ſc. I. v. XCVII.

(*c*) *Hoc tibi ..... debeo*. Terent. Andr. Act. IV. ſc I. v. LII.

(*d*) *Modo ait, modo negat*. Terent. Eunuch. Act. IV. ſc. IV. v. XLVIII.

Geſtus, greſſuſve (*a*) feſtinandus lentior,
Vel intendenda vox (*b*) paullo remiſſior.
Verum minimum id, quod ipſi litterarum habent;
Illud ſuae profecto tribuendum putant
Induſtriae, labori, diligentiae,
Viriſque, quorum è ſchola quiſque prodiit:
Quae quidem eo dicta nos volumus potiſſimum,
Vt inſtituti noſtri ratio aperta ſit,
Et quid, quantumque, & qua in re noſtrum ſinguli,
Quibuſve debeamus vobis fieret palam;
Neu quiſquam nobis falſo ingratum animum exprobret (*c*).
Ad apparatum (*d*) ſcenicum quod attinet,

Ea

(*a*) Veteres ipſi, qui rebus olim praeerant hiſtrionicis, caute quidem vocem, greſſum, geſtumque moderari ſatagebant. Profecto *hiſtrio*, ut Tullianis verbis rem comprobem, *ſi paullum ſe movit extra numerum, aut ſi verſus pronunciatus eſt ſyllaba una brevior, aut longior, exſibilatur, & exploditur*. Paradox. p. III.

(*b*) Revera vox ipſa, juxta Senecae definitionem, eſt aeris intenſio. *Quaeſt. Natur. L. II. c. VI.*

(*c*) *Vt exprobraret quod bonis faceret boni*. Plaut. Prolog. Amphitr. v. XLVII.

(*d*) Nonniſi barbarus hiſtricus, ut ſupra monuit Giaco-

Ea de re quid hic, vel ille ſenſerit (*a*)
In promptu eſt: verum non temere affirmaverim,
Quo prodierit ornatu in ſcenam ſervulus (*b*)
In Attica, quo nutrix (*c*), quo primarius (*d*)
Vir (*e*), quove leno (*f*), quo materfamilias (*g*).

Hoc

comellius v. XVIII. ſcenicum negligere debet apparatum. Qui vero fuerit a veteribus adhibitus ex Meurſio *De orcheſtr. ſiv. de ſaltat. veter.* Caſalio *De tragoed. & comoed.* aliiſque colligitur bene multis.

(*a*) *Iſte tuus ipſe ſentiet*. Terent. Adelph. Act. I. ſc. II. v. LIX.

(*b*) Geta Demiphonis ſervus vafer, & callidus intelligitur, ſic dictus a Getis, qui poſtea Gothi, quem in Phormionis fabula loquentem inducit Terentius. *Iſthunc ſervulum dico adoleſcentis*. Heautont. Act. III. ſc. II. v. XIX.

(*c*) Sophrona, quae provida, & fidelis ab Eraſmo dicitur.

(*d*) *Foeminae primariae*. Terent. Phorm. Act. V. ſc. VII. v. LXXVIII. Sic Plautus *primarium* vocavit *paraſitum*. Mil. Act. III. ſc. I. v. LXXIII. *Primarius vir*. Rudent. Act. IV. ſc. IV. v. XXIX. *Conditionem ex peſſuma primariam*. Stich. Act. I. ſc. II. v. LXXXI. Hinc Cicero *foeminam*, inquit, *primariam Pompejam uxorem tuam commendas*. Epiſt. famil. L. V. ep. XI.

(*e*) Demipho Chremetis frater, atque Antiphonis parens, quaſi τοῦ δήμου φῶς *populi claritas*, qui ſenex erat valdè prudens.

(*f*) Dorus ſuperbus, impuruſque vir a munere, & dono

Hoc exploratum qui ſe habere praedicet,
Monere ne gravetur; magnam gratiam
Nobiſcum inibit (*a*); multo vero maxumam
Si comparandi (*b*) ejuſmodi choragium (*c*),

Quo

dono ſic dictus ἀπὸ τῦ δώρου, quod Thajdi miſſus dono fuerit. Hinc a Terentio dicitur cithariſtriam quamdam ſervire fame ſolitam *lenoni impuriſſimo*. Phorm. Act. I. ſc. II. v. XXXII. At nil penes hunc comicum lenonis voce frequentius: In fabula quippe Adelphorum *Act. II. ſc.* I. *v.* XXXII. dixerat: *Leno iniqua* (loquitur Aeſchinus) *me non volt loqui*. *Leno ſum* (reſpondit Sannio) *fateor*, *pernicies communis adoleſcentium*. Multiplex vero lenonis ſignificatio a veteribus petenda Terentii interpretibus, quos inter adnumerare liceat, uti cenſuit Lindenbrogius, Aruntium Celſum, Flavium Caprum, Helenium Acronem, Aſperium, Adeſionem, Probum, Nigidium.

(*g*) Nauſiſtrata ſignificatur matrona pernobilis, nomen habens magnificum a copiis ductum navalibus, quarum gloria populus Athenienſis excelluit. *Proh divum*, inquit Terentius, *fidem! Meretrix*, *& materfamilias una in domo*. Adelph. Act. IV. ſc. VII. v. XXIX. Tullius vero non temere dixit quod *ſcorta inter matresfamilias verſabantur*. Orat. Philipp. II. n. XLI. Vnde Periphanes ſervo imperaverat apud Plautum ne ſineret *cum filia copulari hanc*, ſcilicet meretricem. *Epidic. Act.* III. *ſc.* III. *v.* XIX.

(*a*) Phraſis Terentiana. *Gratiam hanc* (Chaereae dicit Antipho) *quam video velle*, *inibo*. Eunuch. Act. III. ſc. V. v. IX.

(*b*) Nempè procurandi. *Sua ut comparet commoda*. Terent. Andr. Act. IV. ſc. I. v. IV.

(*c*) Idem ac ſcenicus apparatus, quem ſupra memorat Giacomellius *v.* XIX. LXIII. ſive locus, unde cuncta promuntur ad ludos publicos neceſſaria, qui χορήγιον, ſive

χο-

Quo copiam (*d*) faciat, etiam argentum (*e*) ferat.

Nec

χορἁγιον vocabatur a Graecis, de quo maxime loquitur Ficichellius. *De larv. C. IV. p.* LI. Hinc qui ejuſmodi praeerat apparatui choragiarius appellari conſueverat penes Romanos, veluti vetus oſtendit Taurinenſis inſcriptio apud Gruterum. *Theſaur. inſcr. P.* CDLXXV. *n.* II.

A. TITIO. A. F. BELLICO. VI. VIR. AVGVSTALI
CHORAGIARIO.

Iniquum eſt, inquit Plautus, *comico choragio conari ſubito nos agere traguediam*. Prolog. Captiv. v. LXI. Sed choragii nomen ad rem cumprimis hiſtrionicam pertinere videtur: Dicenti enim apud Plautum ipſum Saturioni paraſito *ſed πόθεν ornamenta*? reſpondet Toxilus ſervus *abs chorago ſumito*. Perſ. Act. I. ſc. III. v. LXXVIII. Tota vero haec Plautina fabula ludicrum hiſtrionum deſignat congreſſum, cui ſervi, paraſiti, ancillae, pueri, lenones interſunt. At celebrem reddidit Polum quemdam Eraſmus, *qui*, eodem teſtante, *choragus erat fabulae*. Colloqu. p. CCCXLIV. Choragorum autem praeſidem ſummi choragi nomine inſignitum veteres voluere; quod Romanae demonſtrant inſcriptiones, quarum altera in campo legitur eſquilino:

HERCVLI. ET. SYLVANO. EX. VOTO. TROPHIMIANVS
AVG. LIB. PROC. SVMMI. CHORAGI. CVM. CHIA
CONIVGE.

altera in S. Laurentii extra muros:

HA-

Nec temere eſt (*a*) actus (*b*) quod produximus duos;
Contractiorem rurſus ultimum dedimus:
Et ſanè, multa ut conferam in compendium (*c*),

Sce-

HABE . MARCE . DVLCIS . M. ADIVT. PROC. SVMMI CHOR . MARCVS . PIISSIMO . PATRI .

(*d*) Supra vocem eamdem adhibuit Giacomellius *v.* xv.

(*c*) Pro pecunia . *Inveniendum eſt tamen argentum* ..... *Retrabam* .... *argentum* ..... *Argentum eripio* . Terent. Heautont. Act. III. ſc. II. v. I. Act. IV. ſc. I. v. LXV. ſc. v. XXXIX. *Argentum opus eſſe* . Phorm. Act. IV. ſc. II. v. III. *Tu* , inquit Plautinus leno, *argentum eluito*. Pſeudol. Act. I. ſc. II. v. XXIX. Sic vetus dum floreret olim Romanorum reſpublica magno ſumptu comoediae actae , quarum aliqua argenti HS. duodecies, & aliquando HS. tricies aeſtimabatur .

(*a*) Nec ſine cauſſa eſt . Ita Terentius perſonam referens Parmenonis cum Gnathone vociferantis *non*, ait, *temere eſt* . Eunuch. Act. II. ſc. II. v. LIX. pariterque Nauſiſtratam inducit Chremeti dicentem *non pol temere eſt quod tu tam times* . Phorm. Act. V. ſc. VIII. v. IX. *Queſto tuo gran timore* (hoc modo reddendum arbitror) *non è già caſuale* . Vid. *Rhen. Boltz. Ricc. Hartnacc. Hoeſchel. Schenck. Ham. Kromajer. Verſ. German. Terent.*

(*b*) Quid fabulae ſibi velit actus adeo notum quam quod explicari poſtulet, eamdemque locutionem uſurpans Terentius *primo*, inquit, *actu placeo* . Prolog. Hecyr. v. XXXIX.

Ne-

Scenae ſervire (*a*) par fuit (*b*), cui alter
Servire qui poſſemus, ne quid mentiar (*c*),
Neſcire me fateor, & diſcerem lubens (*d*).

Nunc

Neque enim (ſic Cicero. *De ſeneƈt. n.* XIX.) *hiſtrioni ut placeat peragenda eſt fabula, modo in quocumque fuerit aƈtu probetur*.

(*z*) *Sed jam* (Stalagmo dicit Hegio) *fieri diƈtis compendium volo*. Plaut. Captiv. Aƈt. V. ſc. II. v. XII. Idem vero Plautus alibi concinnam Giacomellio ſuppeditavit imitationem dum ait : *Tam verba* (loquitur Periplectomenus) *confer maxume ad compendium*. Mil. Aƈt. III. ſc. I. v. CLXXXV. *Errationis* (ſunt Sceparnii verba) *fecerit compendium*. Rudent. Aƈt. I. ſc. II. v. XC.

(*a*) Perſaepe ſervire aliis ſatagebat ipſe Terentius. Quod ut oſtendat luculentius *in animum*, inquit, *induxi* ... *quam maxime ſervire veſtris commodis*. Prolog. Heautont. v. XLIX. *Matris ſervibo* (pro *ſerviam*) *commodis*. Hecyr. Aƈt. III. ſc. V. v. XLV. Gallica videnda verſio Stephani Algay, atque Italica Aloyſiae Gozziae.

(*b*) Ejuſmodi immutationis ratio, qua factum duo ut producerentur actus, atque ultimus daretur contractior, ex editione Phormionis Romae an. MDCCXXXVII. a Giacomellio peracta innoteſcit ; & quoniam partim ob rerum exponendarum indolem, partim ob parandi totius ſcenici apparatus impotentiam fabula integra eſſe nequibat, ſcenae ſerviendum maxime fuit.

(*c*) Chremeti dicit Syrus Terentianus : *Non eſt mentiri meum*. Heautont. Aƈt. III. ſc. II. v. XXXVIII.

(*d*) *Ego vero, ac lubens*. Terent. Andr. II. ſc. I. v. XXXVII. *Ego vero illud ita feci, ac lubens*. Eunuch. Aƈt. III. ſc. V. v. XLIII. *Faciam tibi boni aliquid pro iſta re, ac lubens*. Heautont. Aƈt. IV. ſc. V. v. XV. *Tibi lubens bene faxim*. Adelph. Aƈt. V. ſc. V. v. VI. *Nihil eſt, aeque quod fa-*

Nunc quod nobiſque, vobiſque omnibus bene
Vortat (*a*), iterum Terentium ad vos affero.
Nam quod nonnulli pridem dictitaverant,
Videri poſſe populo frigidiuſculas
Comoedias Terentianas (*b*), & minus
Probatum iri; re ipſa (*c*) demonſtravimus,
Eas aeque placere, ac Plautinae placent (*d*).
Si vobis, quòd ſit nomen Fabulae, lubet
Habere; Phormionem nomen indidit (*e*)
Poe-

faciam lubens. Phorm. Act. III. ſc. III. v. XXXIII. *Lubens fecero, & ſolens*. Plaut. Caſin. Act. V. ſc. I. v. XIV. *Lubens, meritoque vitulor*. Perſ. Act. II. ſc. III. v. II.

(*a*) Ex Plauto: *Res tibi, & gnatae tuae bene, feliciterque vortat* (pro *vertat*). Aulular. Act. IV. ſc. X. v. LVII. Guazzeſius vertit: *Ciò ha tornare in tuo bene, e di tua figliuola*.

(*b*) Qui vim callet Latini ſermonis non deſinit plurimi facere Terentii fabulas. Lutherum ſanè iterata lectione bis evolviſſe Terentium teſtatur Faber *Praef. ad ſyn. Terent.* quum etiam colligatur ex Morhofio *Polybiſt. L.* III *c.* IX. Grotium eamdem prae ceteris plurimum coluiſſe lectionem.

(*c*) *Rem ipſam putemus*. Terent. Adelph. Act. V. ſc. III. v. X.

(*d*) Vid. *Giacomell. Verſic. in Heautont. v.* IX.

(*e*) Vid. *Giacomell. Prolog. Hecyr. I. v.* LIV. Phormionis paraſiti haec fabula. Abſit ut paraſitus hic cum Phormione

Poeta; Phormioni quod primas (*a*) dedit.
Adeſte (*b*) Spectatores cum ſilentio (*c*),
Quo ſermo purus illabatur auribus,

Vr-

mione confundatur Peripatetico, de quo Tullius. *De orator. L. II. c.* LXXV.

(*a*) Intelligitur *partes*. Hinc Terentius: *Latini Phormionem nominant, quia primas parteis qui aget is erit Phormio*. Prolog. Phorm. v. XXVII. Vid. *Giacomell. Prolog. Hecyr. I v.* LIV. Haec fabula eſt, quae occaſionem, ſpecimenque Molierio praebuit Gallico ut dramate Scapinii repraeſentaret argutias.

(*b*) *Adeſte aequo animo*. Terent. Prolog. Andr. v. XXIV. Non tantum cauſſarum patroni, ſed & arbitri adeſſe dicuntur, quibus dant operam. Facit autem poeta arbitros ſpectatores, ut cum Weſterhovio *Comm. in Terent. Andr. p.* VIII. loquar, ſed aequo animo praeditos, non ſtudentes partibus. Hinc alibi etiam *adeſte* legitur *aequo animo*. Prolog. Heautont. v. XXXV. At de cauſſarum patronis, quos Daceria memorat, loquitur Terentius dicens: *Adeſte quaeſo*. Phorm. Act. II. ſc. III. v. III.

(*c*) *Date operam* (Terentiana ſunt verba) *& cum ſilentio animadvortite*. Prolog. Eunuch. v. XLIII. *Badate dunque* (pro more Forteguerrius) *e ſtate con ſilenzio*. Praeterea *cauſſam hanc accipite, & ſilentium date*. Prolog. Hecyr. v. LV. Vid. *Giacomell. Prolog. Hecyr. I. v.* XC. *II. v.* LVII. Codex vero Terentii Oxonienſis Wottonii cum aliis a Bentleyo, ac Meadio, & cum Cantabrigienſi a Cookio collatus habet: *Cauſam accipite, & date ſilentium*. Jure quidem petendum olim erat ſilentium ab ſpectatoribus ne ſtreperent, ut moris erat, tuſſirent, ronchos cierent, conſulcarent frontem, fremerent, maleque muſſitarent. Revera Terentianas ſi quis querelas audire non negligat compertum habebit quod in primo Hecyrae actu poeta placue-

V I I. rat,

Vrbanitaſque jucunde demulceat (*a*)
Animos veſtros: hac fabula feſtivitas (*b*)
Ineſt, leporque (*c*), & temperata lenitas (*d*)
Facetiis (*e*), & liberalibus (*f*) jocis (*g*).
Ne-

rat, propterea quod ſilentium fortaſſe, ut cum Phaedro loquar, *ipſa fecit expectatio*. Fabul. L. V. fab. v. v. xv. Sed *cum interea rumor venit* (ita conqueſtus eſt) *datum iri gladiatores, populus convolat, tumultuantur, clamant, pugnant de loco*. Prolog. Hecyr. v. xxxix.

(*a*) *Non poſſum pati* (Syro reſpondit Chremes a Terentio inductus) *quin ..... demulceam*. Heautont. Act. IV. ſc. iv. v. xiiI. Demulcere magni eſt blandimenti ſignum adnotante Calphurnio *Adnot. in Terent. Heautont.* quod fit quoties in re optata domino ſervus ex ſententia obſequitur. Quod dum explicat Eugraphius illuſtrat etiam Weſterhovius *Comm. in Terent. Heautont. p.* DLXXXVII. jamque ex gloſſis MSS. ex S. Hieronymo tamquam ſalutationis officium Guyetus commendaverat.

(*b*) *An fortunam collaudem .... feſtivitatem* (ideſt jucunditatem, comitatemque) *& facilitatem?* Terent. Eunuch. Act. V. ſc. ix. v. xviiI. Cteſipho in haec admirationis prorupit verba: *Feſtivum caput!* Adelph. Act. II. ſc. iiI. v. viiI. Vid. *Graph. Phraſ. Terent. Toſſan. Phraſeolog. Terent.*

(*c*) Vid. *Giacomell. Verſic. in Eunuch. v.* ix.

(*d*) *Heri ſemper lenitas*. Terent. Andr. Act. I. ſc. ii. v. iv. *Lenitas patris, & facilitas*. Adelph. Act. iiI. ſc. iiI. v. xxxvi.

(*e*) Vid. *Giacomell. Verſic. in Eunuch. v.* ix. Facetiae comoediarum, joci, lepores etſi dictione optima declarantur, apud veteres tamen perſonarum actione cuncta haec multo magis conſtat innotuiſſe. Actores enim larvati invicem ſaltabant, canebant ſimul, nugabanturque frequenter,

ter, & geſtum dum aptarent verbis apparatu, ornatuque multiplici, plauſum extorquebant communem ab ſpectatoribus. Percelebris revera fuit penes Romanos inter ſcenicos ſaltatores, cantoreſque praecipuos Cajus ille Jocundus, ad quem è veſtigio ſpectandum non modo conveniſſe patet promiſcuam populi turbam, ſed vel tres illos Impp. Galbam, Othonem, Vitelliumque, veluti ſequens declarat inſcriptio, quam correctiorem exhibuit Gorius. *Inſcr. Etruſc. T. II. p.* CLXXVI.

DIS . MANIBVS
C. IOCVNDO . C. F. EXQ. QVI . XII. AN. VIX . ET
SEPTIES . SPECTANTIB. PVB. IMPP. SER. GAL. OTH. SAI
A. VIT. ET . P. R. SALTAVIT . CANTAVIT . ET
PLACVIT . PRO . IOCIS . QVIB. CVNCTOS . OBLECTABAT
SI . QVID . OBLECTAMENTI . APVD . VOS . EST
MANES . INSONTEM . REFICITE . ANIMVLAM . FAVSTVS
NVNC . INFAVSTVS . PATER . FILIO . ET . SIBI . FECIT.

Idem dicendum prae caeteris de Cajo Regulo, cujus inſcriptionem retulit Ficoronius. *De larv. ſcen. & fig. comic. antiqu. Roman. p.* CV.

D. M.
MEMORIAE . C. REGVLI . MORIBVS . DECORE
NATALIBVS . DD. HYACINTHO . VEL . NARCISSO
COMPARANDI . QVI . VIXIT . AN. XII. M. III. TER
IN . SPECTAN. S. P. Q. TRAIANEN . QVATER . IN
CVRIA . SPECTANTE . IMP. M. ANTON. PROCOS.
SALTAVIT . CANTAVIT . IOCIS . OMNES . . . . .

(f)

Neque expectetis (*a*) argumentum ut pro-
loquar (*b*).
Nam enarrandi argumenti numquam com-
peri
Facultatem (*c*) Terentiano prologo (*d*)
Da-

(*f*) *Liberalem nactus es*. Terent. Phorm. Act. I. ſc. III. v. XVI. *Eſtne ita, ut dixi, liberalis?* Act. V. ſc. VII. v. XII.

(*g*) Vid. *Giacomell. Verſic. in Heautont. v.* VIII.

(*a*) *Nec expectetis dum exeant huc*. Terent. Andr. Act. V. ſc. VI. v. XVI.

(*b*) Vid. *Giacomell. Prolog. Andr. v.* V.

(*c*) *Date facultatem*. Terent. Andr. Act. I. ſc. IV. v. V.

(*d*) Reipſa *dehinc*, inquit Terentius, *ne expectetis argumentum fabulae*. Prolog. Adelph. v. XXII. Ob id *neque expectetis*, Giacomellius ait, *argumentum ut proloquar*, planè conſcius *enarrandi argumenti numquam .... facultatem Terentiano prologo datam eſſe*. Haec ille. Quae vero debeat eſſe idea prologi conficiendi, qui fabulas praecedere conſuevit, eruitur praeſertim ex Gravina. *Dell. traged. n.* XL. Sed praeter ea, quae dicenda in prologis cenſuit Giacomellius, legere aequum eſt quae dum Parmae nuptialibus ludis Ferdinandi, & M. Amaliae an. MDCCLXIX. a politiorum litterarum ſtudioſis fabula Phormionis ageretur, in prologo leguntur, qui fuit a Franciſco Soave conſcriptus, quemque hic apponimus:

Non aedepol, non committendum illud, neque
Ferendum erat. Omnis dum laetitia diffluit
Bene auſpicatis nuptiis his civitas,
Dum muſicis theatra late perſonant
Concentubus, Italicae dum muſae gaudia
Multimodis miſcent undique, unae deſides

La-

Datam eſſe (*a*): illi neſcio quo fato ſemper opus

Fuit

Latinae interea muſae conticeſcerent ?
Quae cunctis pariter cum praeclaris artibus
Tanta hic aluntur cura , totque regiis
Ornantur ſumtibus , illae non hoc tempore
Grati , ac lubentis animi argumentum darent?
Non illud hercle dignum , nec honeſtum , neque
Fuiſſet aequum . At quo ſe potius verterent ,
Quidve agerent ? Id neſcire primo . Denique
Induxere animum , tempori quod congruat
Quammaxume , illud deligendum maxume .
Qui nunc ſunt laeti , ac gaudio inſperſi dies
Laeta , ac feſtiva poſtulant . Comoediam
Terentianam igitur , lepida quae plurimum ,
Feſtivaque eſſet , vobis ſpectandam dare
Conſtituunt animo , vos ut oblectent ſimul ,
Simul ut videre veſtrum poſſit quislibet ,
Quidnam veteres , novoſque interſit comicos ,
Vbi aliis alii praeſtent , veteribus novi
Quid debeant acceptum , quidve adjunxerint .
Delecta eſt Phormio , quippe verecundior
Quae caeteris , fortaſſe & elegantior .
Ea tibi ſacra in ſcenam , Juno pronuba ,
Nunc primum prodit . Regiis tu nuptiis
Adſis benigna . Per te Phoebus hunc diem
Cum nobis iterum adduxerit , venuſtulus
Pulchrae jam ludat matris in gremio puer ,
Almi patris deliciae , urbiſque gaudium .

(*a*) Profecto in Phormionis prologo praetermiſit fabulae argumentum Terentius , ratus invehere debuiſſe contra Luſcium Lavinium , qui eum volebat *retrahere a ſtudio, & tranſdere .... in otium , maledictis deterrere* . Prolog. Phorm. v. 11. Declarat autem fabula ſenem Demiphonem

Chre-

Fuit, compluria (*a*) crimina ut refelleret (*b*).

Chremetis fratrem relicto Athenis filio Antiphone peregre fuiſſe in Ciliciam profectum. Chremes etſi Athenis divitem uxorem duxerat Nauſiſtratam, ex qua Phaedriam filium ſuſceperat, aliam tamen ſuſcepto Stilphonis nomine duxit pauperculam in ea Cycladum inſula, quae Lemnus vocatur, atque ipſa filiam habuit Phanium. Phanii hujus mater è Lemno quum Athenas migraſſet, extremum ibi haud multo poſt obiit diem ſuum, filiamque Phormionis paraſiti opera conjugem accepit Antipho. Demipho, & Chremes unus è Cilicia, è Lemno alter reverſi quum fuerint iracundia perciti minas xxx. ſeu florenos XDL. Phormioni ſpondent ſi Phanium habeat conjugem. Pecuniam is accipit, praebetque Phaedriae, qui lenoni pro amica tradit, & ſic Antipho, non renuente Nauſiſtrata, agnitam retinet a patruo Chremete puellam. Ejuſmodi vero colluſtrari poteſt argumentum, ea ſi examini ſubiiciantur, quae cum a Donato, Eugraphio, Faernio, Parejo, Boeclerio, tum Farnabio, Caſaubono, Fabro, Hackio, aliiſque Terentii explanatoribus fuere prolata. Sed jam ratio patet, qua recentiores poetae novos quum perficiant comoediarum veterum prologos ſaepe argumentum data opera praetermittant.

(*a*) *Nova hic compluria*. Terent. Phorm. Act. IV. ſc. III. v. VI. Sic *fana hoc loco compluria*. Cat. Origin. L. II. *Confirmandi genera compluria*. Cicer. in Protag.

(*b*) *Tu horum nihil refelles ..... cur non refellit?* Terent. Phorm. Act. I. ſc. II. v. LXXXI. Act. II. ſc. III. v. LIV. *In prologis ſcribundis operam abutitur* (de ſe ipſo Terentius loquitur) *non qui argumentum narret, ſed qui malevoli veteris poetae* (Luſcium Lavinium intelligit) *maledictis reſpondeat*. Prolog. Andr. v. v. Debuit ille quidem compluria crimina refellere accuſatus a malevolis quod in Andria conſcribenda Andriam potius Menandri contaminaſſet, ejuſdemque Perinthiam exſcripſiſſet, quam Naevii,

Plau-

Plauti, Ennii, *quorum aemulari* exoptaverat *negligentiam* Prolog. Andr. v. xx. rite calcaſſet veſtigia, & in elucubranda Phormionis fabula *tenui* uſus fuiſſet *oratione*, *&* *ſcriptura levi*. Prolog. Phorm. v. v. Vid. *Riv. Fabric. Not. in Terent. ex MS. Palatin.* Ipſe vero quum fateatur quod *nullum eſt jam dictum, quod non dictum ſit prius* Prolog. Eunuch. v. XLII. quam quidem ſententiam, quae in ſacris etiam Codd. extat *Eccleſiaſt. C. I. v.* x. utpote mire expoſitam a Donato uſurpavit S. Hieronymus ejus diſcipulus *Comm. in Eccleſiaſt. C. I.* errorem omnem regerendum putat in Lavinium, qui eum Eunuchi fabulam exponentem res in Menandri Phaſmate, Eunucho, Theſauroque propoſitas, & in Naeviano, Plautinoque Colace contentas male dictitaverat adoptaſſe, & *furem, non poetam fabulam dediſſe*. Sed vel crimina adverſus Heautontimorumenum refellere Terentius debuit a malevolis reprehenſus comoedias *multas contaminaſſe Graecas* (Menandri maxime, & Apollodori) *dum facit paucas Latinas*. Prolog. Heautont. v. XVII. Quoniam vero ille *ſenſit ſcripturam ſuam ab iniquis obſervari* (haec ejus verba) *&* *adverſarios rapere in pejorem partem* Prolog. Adelph. v. I. ſcilicet *s' etant aperçu* (en Daceriae verſionem) *que ſes ennemis obſervent ſes ouvrages pour les critiquer, & qu' ils tachent de decrier la piece, que nous allons jouer devant vous*, fabulam quoque Adelphorum ex Graeca Diphili comoedia, quam Plautus Latinam fecit, ſe reddidiſſe novam aſſeruit, & in exponenda Hecyra Caecilii effugiſſe infortunia teſtatus eſt, ne rixas concitaret moleſtas, neu deterreretur *injuria adverſarium* (nempe *adverſariorum*) *ab ſtudio, atque ab labore*. Prolog. Hecyr. v. XII. Muretus ipſe ſequentem confecit in Phormionem prologum, quum nobiles aliquot adoleſcentuli Hippolyti Ferrarienſis juſſu acturi eſſent hanc fabulam:

Etſi ſcio eſſe hic neminem, qui neſciat
Quid apparatus noſter hic velit ſibi,
Tamen mearum partium eſſe exiſtimo,
Interea dum ſe mei ſodales comparant,
Bona cum venia veſtra pauca dicere,

X *Quae*

Quae ſcire vos, & veſtra, & ipſorum intereſt.
Comoediam Terentii acturi ſumus,
Cui Phormioni nomen ipſus indidit,
Quod paraſitus in ea Phormio primas agit.
Neque hoc videri debet aut mirum, aut novum:
Quandoquidem in omni vita, nedum in fabulis,
Paraſiti, ſcurrae, ſycophantae, omne id genus,
Bonis repulſis, ipſi jam primas agunt.
Quod ſi quis eſt, parum decorum qui putet,
Juvenes ingenuos perſonatos conſpici, in
Scenam prodire, & quaſi facere hiſtrioniam:
Is ſibi reſponſum hoc habeat: nulla re magis
Dijudicari omnia, quae mortales agunt,
Quam fine, quem is, qui quid agit, proponit ſibi.
Qui ſcenicam artem victus cauſſa factitant,
Et, ut coquis, ac laniis riſum excitent,
Diſtorquent ora, inſulſa dicta dictitant,
Contundunt pugnis ſe invicem, atque horum omnium
A plebe viles exigunt mercedulas,
Merito hiſtrionum nomen, & famam ferunt.
Nil ſimile noſtrum eſt. Nos, ut noſtram induſtriam
Vobis probemus omnibus, ut communi hero
Hilaremus animum, cui debemus omnia,
Unum id petentes, hunc laborem cepimus.
Quamquam o ſupremi caelites, quem jam omnium
Pudere debet perſonatum conſpici,
Cum id omnis aetas, omnis ordo factitet?
Sed nolo nunc ulcera cujuſquam tangere,
Ne quis ſatyram hanc eſſe dicat, non comoediam.
Nunc unum a vobis, priuſquam hinc abeam, poſtulo:
Si vos, quod veſtri honoris cauſſa fit, juvat,
Favete, & vigilate animis, vigilate auribus,
Dormite linguis. Qui tacere non queunt,
Bene fecerint, ſi ceſſerint iis, qui queunt,
Ne & turbent alios, & morbum prodant ſuum.
Facite, ad conanda in poſterum nos talia
Bonitas ut veſtra, atque aequanimitas excitet.

EXPLICIT PROLOGVS PHORMIONIS.

HECYRA.



TITVLVS.

ACTA . LVDIS . CEREALIBVS . SEX . IVL. CAESARE . ET . GN. CORNELIO . DOLABELLA . AEDIL . CVR . NON . PLACVIT . NON EST . PERACTA . TOTA . MODOS . FECIT . FLACCVS . CLAVDI TIBIS . PARIBVS . TOTA . GRAECA . APOLLODORV . ACTA . PRIMO SINE . PROLOGO . ITERVM . DATA . GN. OCTAVIO . T. MANLIO COSS. ITERVM . LVDIS . FVNEBRIBVS . L. AEMILI . PAVLLI . NON EST . PLACITA . RELATA . EST . IV. Q. FVLVIO . L. MARCIO AEDIL . CVR . EGIT . L. AMBIVIVS . TVRPIO . PLACVIT . FACTA AN. AB . V. C. DLXXXVIII. ANTE . XPTVM . NATVM . CLXIII. ITERATA . AN. AB . V. C. DLXXXIX. ANTE . XPTVM . NATVM CLXIV. ACTA . DENVO . ROMAE . AB . ACADEMICIS . LATINIS IN . THEATRO . COLLEGI . SALVIATI . LVDIS . BACCHANALIBVS AN. MDCCXXXIX.

PLACVIT .

Digitized by Google

EX HECYRA.

Liberali eſſe ingenio decet.
Act. I. ſc. II. v. LXXXIX.

Mulieres ſunt ferme, ut pueri, levi ſententia.
Act. III. ſc. I. v. XXXII.

Iſtuc eſt ſapere, qui, ubicumque opus ſit, animum poſſis flectere,
Quod faciundum fortaſſe ſit poſtea, hoc nunc ſi feceris.
Act. IV. ſc. III. v. II.

Tua quod nihil refert percontari deſinas.
Act. V. ſc. III. v. XII.



EPISTOLA ANTONI MATANI AD ANTONIVM ROOYVM.

SNECAM.

QVum ſuperioribus annis ea mecum (quae eſt humanitas ejus) amice communicaſſet Phelſumius tuus, quibus poſtmodum in explicandis veterum ſcriptis tantam tibi, vir optime, laudem inter doctiores Friſiorum homines comparaſti, meminit, opinor, quantum prae caeteris ſim admiratus quae in Martialis maxime librum de ſpectaculis ſapienter non minus, quam eleganter protuleras. Ille ſcilicet voluntatem ſimul, & occaſionem ad te ſcribendi mihi praebuit opportunam. Tuum profecto perlibenter legi commentarium, doctum illum quidem, & eruditum, cujus memoria valdè commoveor, & ad unum ex Giacomellianis prologis Hecyrae Terentianae praemiſſis ad te mittendum impellor alacriter. Qui etenim ea illuſtraveris, quae circa ſpectacula Romanorum per Martialem declarata leguntur, non aegre feres ſi adſpexeris prologum a me animadverſionibus utcunque auctum, ubi quidpiam fuit auguratum inclyto principi, quod bellici praeſidio ſpectaculi viam litteris ad Graeciam, propulſa, ſi fas eſſet, barbarie reſerare debuiſſet, atque novis illius nomen augere titulis triumphorum. At iniquo tibi multo minus ferendum animo ſi de rebus Italicis dum vis certior fieri ea ſcribendo perſequar, quae inſigne reddunt novum fortaſſe tuis in regionibus ſpectaculi genus Piſanis ludis ad XI. Kal. Majas hujus anni ſolemni pompa jam celebratum. Quae

quum

quum dico pervetuſtae Etruſcorum urbis , intelligo pontis ludum , de quo , ne patientiam omnem exhauriam tuam , nonnulla breviter . Et ne rei curſim raptimque deſcribendae occaſio praetervolet , ſcias velim ſolemnia multa parari . Plaudunt ſanè omnes , tympana ſonant , vexilla prodeunt militaria , ipſimet alternis exultant vocibus pueri . Quin & plebeii homines de ludo inſtaurando dum loquuntur attentius ſermunculos jactitant planè graves . Cave putes , amice ſuaviſſime , in domiciliis illuſtrioribus , ſpectabiles ubi degunt religione , ſapientia , nobilitate viri , altum eſſe hac de re ſilentium . Abſit . Quum itidem vel in ſacris aedibus foeminarum , ubi aliqua taciturnitas regnat , quum de ponte muſſitatum animi ſtatim exagitentur imbelles . Ita porro . Sed tandem aliquando laeta dum renidet ludo dies , bellicumque videtur imminere certamen , credo ego te non temere volutare animo quod populus certatim convolet , tumultuentur omnes , clament , pugnent de loco . Tunc vero ſi adfuiſſes galeatam , ocreatamque turmam gregariis vidiſſes junctam militibus , eamdemque ferrea inſtructam lorica , parmiſque armatam ligneis , atque incedentem minaci fronte , ut pontem , quem arnus interfluit , utrinque conſcenderet , atque una ad ejus uſque dimidium alteri obviam procedens dato ſigno inſtitueret pugnam . Inſtituit denique , eaque ferventi ardore dirigitur ab induſtriis ducibus certantes opponentibus cohortes . Earum aliae adverſam ut pontis aream occupent in alias repente irruunt , donec praecipiti robore inter ſeſe invicem concutiantur . Ego non inficias iverim ſpectaculum ejuſmodi haud eſſe ab projecta robuſtiorum militum audacia disjunctum adeo (quod vix , ac ne

vix

vix quidem ſtatui poſſe videtur) ut planè ignores num pro gloria ludendo, num vere pugnando ſubito ad majora contendant. Quid? Creſcunt reapſe vires in pectore, novos, ac robuſtos viros adſciſcunt ſocios, eoſque ad praelium ductos urgent juſſa ducum. Frequentes etiam inter clamores peditum, ſtrepitumque parmarum in galeas ferreas ruentium pugna viget. En hoſtes ex altera manu locum furore perciti praeripiunt hoſtibus, atque in eos dum ardenter irrumpunt captivos cerneres viciſſim ducere quos aut fefellit iniquitas loci, aut deterruit ardor conſlictationis. Jamque parmae per aera volant, & novas furor ipſe pro armis miniſtrat vires. Hinc alios callida ſimulatione deceptos etſi timor exagitat, ancipiti tamen alios cogitatione diſtractos ſtimulat audacia: Corripit demum alios tantus pugnandi ardor, ut metu licet praepediti nimio non omnia facilius credant, hoſtilia dum multa fingunt impunius. Quos quidem qui ſpectatum advenerint valdè collaudant, quaſi non imitari magnanimos bellatores, ſed aemulari voluiſſe videantur. Interea ſpectatorum invicem plaudentium voces (permulta ut conferam in compendium) alternis miſcentur plauſibus, clamor ad caelum conſurgit, & circumquaque perſtrepentis perſonat vulgi murmur. Strenuis autem militibus, qui graviora pericula per tres horae quadrantes pro gloria ſunt paſſi, utpote ob laxitudinem, faſtidiumque moroſum exanimatis, quaerenda quies, & a conflictu ſuperſedendum. Ad poſtremam vero quod attinet concertationem ſuperioribus menſibus inſtitutam, fato neſcio quo factum ut eam inuſitata forſitan pugnandi ratio ſolito citius diremerit. Neque credas in animo fuiſſe ludentium rem in horam aliam differre, temporis ut accederet beneficio,

quod

quod promptiori fortaſſe calliditate non factum. Quum etenim hominum, tametſi robuſtiorum, corpora omnibus penè dixerim exhauſta viribus valetudinis cauſſa ſint reficienda, ſancita cautum ludi lege ne amplius dato praefiniti ſpectaculi ſigno ultra progrediantur pugnantes. Ohe! Jam ſatis. Soluto denique ab praetorianis certamine, partaque per aciem minus trepidantem victoria, quae ab hoſtibus pendet è pontis area penè fugatis, triümphalis media in urbe fulgere pompa non deſinit. Sed heus tu, vir optime, unum praeterieram, quod dictum oportuit. Etenim advenarum HS. duodecies plus minus è finitimis advolant regionibus ut interſint ludo, ibidemque dum ſunt ſuas ita quiſque animo tuetur partes, ut temperari vix poſſit, ac ſi in eadem urbe natus, & altus eſſet, quominus de jactura aegerrime conqueratur, aut de victoria laetetur alacriter. Quanta vero ſit animorum contentio, quanta perturbatio, quae cives maxime bellatores adoritur, quantum quotidianis inter ſeſe rumuſculis immurmurent invicem, tuum ſit judicium. Ais ne? Omnes, qui ſeſe ſtudent praeſtare caeteris, ſumma ope niti decet ne inglorii lateant, tempuſque ſilentio tranſeant. Non enim è victorum animis grata excidit ſtatim memoria ludi, quum indecorum putent de rebus, quas fortiter geſſerint, turpiter obmuteſcere. Tu planè vides quantum conſuetudini urbium, & incolarum moribus tribuendum. Quam vellem cuncta haec adſpexiſſes! Permulta probaſſes utique. Te nullum profecto vidiſſe faſtus eſſes illuſtriorem unquam, quem illuxiſſe dixiſſes diem, ac venuſtiorem quemquam, aut jucundum magis, quam illum, quo ludus ejuſmodi celebratur. En habes quod promiſeram. Et quoniam

id

id totum ſcriptor forſan indiligens epiſtolae coercere finibus malui, quam longo ſermone protendere, idipſum pro prudentia tua, & integritate velim aequanimiter feras; operam itidem in eo ludo deſcribendo meam ſi & novam forte cenſueris, & jucundam, ab eorum difficultatibus tuearis, qui alienis aliquando malint invidere ſpectaculis ut ſua concelebrent, quam admirari quorumlibet decus, & venuſtatem. Quod ad caetera pertinere cognoſcis proximis expediam litteris, quas propediem expectabis. Video enim uberrimam ſcribendi propoſitam materiem, quaeque anguſtis finibus contineri nequit. Ad tuum autem quod attinet librum, licet eas illuſtraveris conjecturas, quae in poetarum nonnullorum libros proferri valuerant, atque in eos maxime, quos Schrevelius olim collegerat, quoſque nemini dubium ad ſpectacula veterum pertinere, tamen, praeter carmina P. Cornelii Severi, ea te potiori jure video ſelegiſſe, quae per M. V. Martialem jactata fuerunt in vulgus. Nec immerito. Poetam namque illum, de quo tantopere incolae gloriantur regni Hiſpanienſis, ad coelum laudibus extulerunt Scaliger, Lipſius, ac Politianus, aliique bene multi; tametſi improbaverint alii, Volaterranus cumprimis, Jovius, & Naugerius. Eorum pace dixerim, ego eum tanti facio, quanti quis alius, & ipſe plurimi facis, ut & praeceptor tuus Cannegieterius, qui id tibi dedit conſilii, talem ut eruditum laborem ſuſciperes. Neque vero improbandus labor, quum videam ſcilicet te Codd. MSS. Arntzenii, Thuanii, Bodleii inter ſeſe invicem contuliſſe; Rutgerſium itidem, & Scriverium perquam accurate fuiſſe per te colluſtratos. Tuum certè com-

mentarium accepi libenter, ac permulta in eo vidi libentius, quae alienos nondum oculos pervaſerunt. Exemplum eſto prae reliquis vetus inſcriptio marmorea, in qua patroni quidam, decurioneſque memorantur vetuſtiſſimi cujuſdam Romanorum collegii, quaeque penes Wittium, Burmannium, Graeviumque diu quum latuiſſet, fidelibus ab amico tuo ſubjecta litteratorum oculis ſententiam comprobat mirifice tuam, M. Agrippam nimirum non jam confictum Veſenii, neque Vapſonii, uti vulgo jactatum eſt, ſed verum, ac germanum Vipſanii nomen obtinuiſſe. Obſecro te ne ſuſceptum deſeras ſcriptores alios vetuſtate percelebres eadem methodo, atque eruditione eadem colluſtrandi conſilium, neu imperfecta relinquas quae dudum incipere minime renuiſti. Nolim tamen temere factum putes ſi tibi, qui primos in litterario agmine ordines ducis, gregarius ego miles auctor ſim ut ad haec maxime pertractanda te conferas, quippequi talibus & ipſe allicior ſtudiis, quae tui celebritatem nominis ad uſque noſtros Italos detulerunt. Reliquum eſt me ut diligas, tanto licet terrarum ſpatio diſſitum. Amicos ſaluta meis verbis. Phelſumium ut valdè ames te rogo. Da operam ut valeas ad uſque Neſtoreos annos.

III. NON. OCTOBR. CIƆIƆCCLXXVI. PISTORI.

PRO-

PROLOGVS I. HECYRAE

DICTVS QVVM FABVLA DARETVR POPVLO.

NVllum profecto me vidiſſe cenſeo (*a*)
Illuſtriorem umquam, aut ſodalibus (*b*) meis,
Mihique quem illuxiſſe (*c*) dixerim diem
Venuſtiorem (*d*) quemquam, aut jucundum magis,

Quam

(*a*) Hanc certe ſcribendi formulam ex Plauto addidicit Giacomellius. Etenim *neque ego* (ſunt Tranii verba) *vidiſſe me unquam quemquam, quam te, cenſeo*. Moſtell. Act. III. ſc. I. v. LXXVIII.

(*b*) Sodales dicuntur qui eidem collegio adſciti quum fuerint, fraterno veluti foedere inter ſeſe ſunt viciſſim rerum, judiciorumque participes. *Si frater* (Micioni dicebat Aeſchinus) *aut ſodalis eſſet, qui magis morem gereret?* Terent. Adelph. Act. IV. ſc. v. v. LXXIV. Vid. *Audrich. Animadv. & interpr. in Adelph.*

(*c*) *Nunc te nox* (ſic Jovem dicentem inducit Plautus) *quae me manſiſti, mitto ut cedas die, ut mortalibus illuciſcas* (pro *illuceſcas*) *luce clara, & candida*. Amphitr. Act. I. ſc. III. v. XXXIX.

(*d*) *Venuſtatiſque adeo plenior?* Terent. Hecyr. Act. V.

Quam nunc; fuiſſe nec nobis umquam arbitror
Melius, vel ipſa ſcena luculentius (*a*).
Tua tibi renidet, Princeps inclyte (*b*),
Praeſentia, huc cum noſtri honoris gratia
Venire non gravatus es, & ſcenicum
Te ſpectatore hunc Ludum (*c*) decorari tibi
Placuit. Mihi vero profecto nunc id eſt,
Prae

V. ſc. IV. v. VIII. Contra vero dicitur aliquid *invenuſtum eſſe*. Andr. Act. I. ſc. V. v. XI.

(*a*) Elegans magis, ac ſplendidum, luce nimirum refertum. Sic Terentius meretricem Bacchidem repraeſentat, cujus conſortium Clinia fidelis adoleſcens optaverat, patris Menedemi ut fugiendo declinaret moroſitatem, deque ipſa pronunciatum a Syro ſervo legimus quod *mulier* eſſet *commoda*, *& faceta*, cui per ſenem Chremetem reſponſum quum eſſet *ſanè idem viſa eſt mihi*, ſubjungit Syrus, *& quidem hercle forma luculenta*, cui Chremes *ſic ſatis*. Heautont. Act. III. ſc. II. v. X.

(*b*) Primum Hecyrae prologum laudibus inſervire voluit Giacomellius inclyti juvenis, qui an. MDCCXXXIX. Romae dum degeret academicorum Latinorum exercitationibus, comoediiſque Plautinis, ac Terentianis ut quum maxime, interfuiſſe gloriatus eſt. Fuit hic Fridericus Chriſtianus Auguſti III. Poloniarum regis, & electoris Saxoniae filius princeps juventutis, cujus magnanimitate, & prorſus mirifica lenitate, quam in maximis opibus, ſummaque potentia haud alibi facile quiſquam repererit, factum ut academici majus nullum ſibi dari arbitrari fuerint lucrum, luculenti quo fierent, quam ab illius praeſentia.

(*c*) Vid. *Giacomell. Verſic. in Heautont. v.* XII.

(*a*)

Prae gaudio cum verba propè vix ſuppetunt (*a*);
Neque interea conſultum eſt quid primum eloquar (*b*).
Nimis velim, diu nobiſcum ut hic ſies (*c*);
In quem intuentes quiſque noſtrum cernimus,
Inani ſpe cujuſmodi expectavimus
Diu Patrem Tuum (*d*), & honorem vultus (*e*), & os

Ama-

(*a*) *Dictis facta ſuppetant*. Plaut. Pſeudol. Act. I. ſc. I. v. CVI.

(*b*) *Quod veni eloquar*. Terent. Prolog. Heautont. v. III. De hac dicendi ratione legendum quid ſentiat Scaliger. *De art. poet. L. VI. c.* III. *Quod ſcire expetis eloquere*. Plaut. Aſinar. Act. I. ſc. I. v. XII. *Eloquere utrumque nobis*. Ciſtell. Act. I. ſc. I. v. LVI. *Elocuta ſum convivas*. Menaechm. Act. I. ſc. IV. v. VI.

(*c*) Terentius: *Neque te quiſquam novit, neque ſcit qui ſies* (pro *ſis*) Eunuch. Act. II. ſc. III. v. LXXXII. Ex Plauto: *Da mihi banc veniam, ignoſce, irata ne ſies*. Amphitr. Act. III. ſc. II. v. XLIII. Vid. *Giacomell. Prolog. Andr. v.* XI. *Phorm. v.* XXXI. *Hecyr. II. v.* XXXVI. Conſulere decet Kockertium. *Syllab. voc. Terent*.

(*d*) Auguſtum III. ſapientiſſimum regem, qui propriam ſuperavit famam, vicitque populorum expectationem. Eum noſcebat nemo, qui non amaverit, neque vel adibat, qui non ſaepius adire cupiverit, vel ſemel adſpiciebat, cui vidiſſe ſemel ſatis fuerit, nemo illius cogitabat, & experiebatur mores, qui non fuerit admiratus, & praedica-

dicaverit. Hic *triumphorum* (ut cum Giacomellio loquar. *Prolog. Hecyr. I. v.* XXXIV.) *bonarum , & omnium artium incrementis* propriam aequavit gloriam Boleslajo, Caſimiro, Sigiſmundo Poloniae regibus praeſtantiſſimis, quorum res praeclare geſtas praeter Cillium Piſtorienſem *Hiſt. dell. ſollev. di Pollon.* Cromerius *Hiſt. Polon.* atque Guagninius *Sarmat. Europ. deſcr.* prae caeteris deſcripſerunt. Et quoniam Terentii comoediae omnes Italice vinɛta numeris oratione a Forteguerrio redditae, atque aeneis perſonarum figuris ex pervetuſto bibliothecae Vaticanae Cod. accurate expreſſis nobilitatae ejus auſpicio prodierunt in lucem, ita Hecyrae filii patrocinio ſuſtentatae immortale decus, nec vulgare acceſſit emolumentum. Obſervandum obiter vetuſtiſſimum Terentii Cod. habuiſſe Bembum, quo antiquiorem nullum ſe vidiſſe unquam Politianus fatetur. Hunc Romae Fulvius Vrſinius Vaticanae legavit bibliothecae, ejuſque aliquod dedit ſpecimen Mabillonius. *De re diplomat. p.* CCCLIV. Neque eos Codd. antiquitate creditur ſuperare, quorum alterum Halae Saxonum penes Olearium, penes Batavos alterum in Leydenſi bibliotheca compertum eſt aſſervari. Ejuſmodi vero Cod. quem Lucas Holſtenius plurimi fecit, non modo uſus eſt Forteguerrius Italicam dum fecit verſionem, Vrbini poſtea an. MDCCXXXVI. vulgatam, ſed Anna quoque Daceria Tanaquilli Fabri filia in ejuſdem verſione Gallica concinnanda. Extat nunc in eadem bibliotheca Plut. LI. num. MMMDCCCLXVIII. & Sponio judice ann. M. antiquitatem excedit.

(*e*) Etſi ex Terentii ſententia *vultus quoque hominum fingit ſcelus* Heautont. Aɛt. V. ſc. I. v. XIV. neque ab ipſius *contemplatione* decet ſuperſedere *Phorm. Aɛt. I. ſc.* IV. *v.* XXXIII. eſt tamen vultus imago, & ſermo animi, facileque *immutatur* Hecyr. Aɛt. III. ſc. III. v. IX. ſed in bene moratis, praeſtantibuſque prudentia viris excellens aliquid commonſtrat, atque honorificum.

Digitized by Google

Amabile (*a*), & juventutis lumen, tuae
Iſtuc aetatis cum ver (*b*) ageret: denique
In te Paternam contemplando imaginem,
Cupidum (*c*) videndi illius explemus animum (*d*),
Aut leniore deſiderio (*e*) tangimur:
Vt illum aetate (*f*), rebus geſtis (*g*), opibus
Florentem fortunet Deus, & legionibus (*h*)

Ejus

(*a*) Os pro vultu accipitur a Terentio: Quando namque Demea ſeniles profert, graveſque ſententias Micionem fratrem *nulli*, ait, *laedere os*, *arridere omnibus* Adelph. Act. V. ſc. IV. v. X. ſcilicet praeſentem nullum offendere. Et ſanè praeſens quum aliquis moleſtia ſermonis afficitur, tunc vultus, ut ita dicam, laeditur, qui inſolito ſaepe rubore perfunditur. Hinc os amabile idem eſt ac vultus amorem concilians.

(*b*) Ver aetatis adoleſcentia eſt, ut inquit Cicero. *De ſenect. c.* XIX. Tunc honeſtarum imprimitur facilius rerum memoria, quae *in ſenectutem*, adnotante Quintiliano, *proſequitur, & impreſſa animo rudi uſque ad mores proficiet*. Inſtit. orat. L. I. c. I.

(*c*) *Illius animum cupidum*. Terent. Heautont. Act. II. ſc. III. v. CXXVI.

(*d*) Vid. *Giacomell. Verſic. in Andr. v.* XI.

(*e*) *Te deſiderium Athenarum arbitror .... cepiſſe ſaepe*. Terent. Hecyr. Act. I. ſc. II. v. XIII.

(*f*) *Aetate integra*. Terent. Andr. Act. I. ſc. I. v. XLV. Gallica perlegenda verſio Bonaventurae Perierſii, Joannis Fontainii (*de la Fontaine*) atque Iſaacii Sacii.

(*g*) *Re bene geſta*. Terent. Adelph. Act. V. ſc. I. v. XIII.

(*h*) *Legiones reveniunt domum*. Plaut. Amphitr. Act.

I.

Ejus, turmiſque numine (*a*) praeeat ſuo
In Aſiae, & Africae, Europaeque barbarum
Praedonem (*b*). Sic prolatis regni finibus,
Internecatis, & deletis hoſtibus (*c*),
Noſtris illuc iter patefaciat ſacris (*d*);
Recluſa litteriſque (*e*) ad Graeciam (*f*) via,
Quas inde patrio foeda propulit ſolo
Barbaries, coelo gloriam aequabit ſuam;
No-

I. ſc. i. v. xxxiiI.

(*a*) Numinis vox ſaepe tranſlate ſumpta eſt ab ſcriptoribus pro Dei nutu, voluntate, potentia. *Non haec*, ut canit Virgilius, *ſine numine Divum eveniunt*. Aeneid. L. II. v. LXXVII. *In quemcumque locum diverſo, numine tendunt*. Lucret. De rer. nat. L. IV. v. CLXXX.

(*b*) Tartarum, Samogetam, Mauritanum, atque eos omnes praedones, qui dum *adſunt* (ſunt Phaedri verba) *rapiunt quod quiſque extulit, nudos relinquunt*. Fabul. L. IV. fab. XXI. v. XVI.

(*c*) Sincera imitatio Plauti dicentis quod *legiones reveniunt domum* (Soſia cum Mercurio loquitur) *duello extincto maxumo, atque internecatis hoſtibus*. Amphitr. Act. I. ſc. I. v. XXXV. Quam quidem imitationem neque ipſe, ſi adhuc viveret, factam abnueret Giacomellius: Ingenui namque pudoris eſt fateri per quos profeceris.

(*d*) *Sum ſacer*. Plaut. Bacchid. Act. IV. ſc. VI. v. XIV. Varia tamen eſt Plautina ſignificatio.

(*e*) Parmeno Terentianus ita loquitur: *Fac periculum in litteris* (ſcilicet doctrinis, diſciplinis, ingenuis artibus, quae litteris conſcriptae ſunt) *fac in palaeſtra, in muſicis*. Eunuch. Act. III. ſc. II. v. XXIII.

(*a*)

Nomenque (*a*) titulis augebit ſemper novis (*b*)
Triumphorum (*c*), bonarum, & omnium artium
Incrementis. At tu, o Beate (*d*), qui indole
Magis tua, quam gemmis inclareſcere
Dudum coepiſti, aut auro; & ad potentiam
Paternis (*e*) inſtitutus (*f*) ſummam moribus,
Paternam gloriam uſque retinueris, novo
Rerum & bene geſtarum adjecto cumulo auxeris.

Lau-

(*f*) Felix ſanè augurium, niſi barbaries, quam foedam potiori jure vocat Giacomellius noſter, utpote quae patrio ſolo litteras propulit, altiores egiſſet radices! Atque utinam Deo bene juvante vera religio, ſcientiae nobiliores, utilioreſque artes, quarum penes Europaeos renidet emolumentum, vel in Attica, Beotia, Phocide, Doride, Lccro, Megaride florerent denuo, & adoleſcerent, ac fructus efferrent dignos expectatione!

(*a*) *Nomen profitetur*. Terent. Prolog. Eunuch. v. I.

(*b*) *Sit novum*. Terent. Phorm. Act. II. ſc. 1. v. xv.

(*c*) *Serio triumphat*. Terent. Eunuch. Act. III. ſc. 1. v. III. *Triumpho, ſi licet me latere tecto abſcedere*. Heautont. Act. IV. ſc. 1. v. LIX.

(*d*) Felix, potens, nobilis, dives, qui a Graecis μακάριος dicebatur. Ethnicorum dii appellati ſunt μάκαρες ab Ariſtophane. *Ran. Act. II. ſc.* III. *v.* IX.

(*e*) *Paternum iſtuc dediſti*. Terent. Adelph. Act. III. ſc. IV. v. IV.

(*f*)

Laudem (*a*) tuam vero iſtanc (*b*) longè maximam,
Qui regiam non didiceris ſcientiam
E ditionum tuarum faſtu, & copia (*c*),
Sed litterarum incorruptis praeconiis,
Ipſarum litterarum poſteri è fide (*d*)
Acceptam alent, tuebiturque aeternitas.
Illud confidimus denique, quotquot ſumus Ro-

(*f*) *Quemquamne hominem ... inſtituere, aut parare?* Terent. Adelph. Act. I. ſc. 1. v. XIII.

(*a*) *Sine invidia invenias laudem*. Terent. Andr. Act. I. ſc. 1. v. XXXIX.

(*b*) Pro *iſtam hanc* ex duplici voce facta ſimplici. *Jam vero omitte, Demea, tuam iſthanc iracundiam*. Seniſia haec ſunt Micionis verba apud Terentium. *Adelph. Act. IV. ſc.* VII. *v.* XXXVI. Iſthanc vocat laudem longe maximam Giacomellius, quae incorruptis acquiritur litterarum praeconiis a viro principe, qui regiam ſcientiam callere debet, quam Ariſtoteles prae caeteris, Iſocrates, Libanius, Plato, Plutarchus, Syneſius, Xenophon, aliique bene multi laudibus ſunt proſequuti.

(*c*) Tametſi pro ditionum affluenti quantitate, divitiiſque copia ſumatur, ad exercituum tamen hic tranſfertur potentiam uſurpata vox: Vides enim multas *copias* (ſic Chremes Thaidi, Pythiaeque) *adducere*? Terent. Eunuch. Act. IV. ſc. VI. v. XVII. *In anguſtum oppido nunc meae coguntur copiae*. Heautont. Act. IV. ſc. 1. v. LV.

(*d*) Alibi pro clientela hanc vocem adhibitam a Giacomellio adnotavimus. *Prolog. Adelph. v.* CXXX. Pro fidelitate tamen legimus uſurpaſſe Terentium: *Intellexi ſitas fide, & taciturnitate*. Andr. Act. I. ſc. 1. v. VII. Pro fiducia

Romanae auctoritatis (*a*) cultores, fore ut
Quae vos inter, ſacramque hanc urbem,
foedere

Sa-

cia vero quando Simonem inducit Chremeti, Davoque dicentem: *Habeo tibi jam fidem*. Andr. Act. III. ſc. IV. v. VII. Tandem pro re promiſſa: *Quem neque fides .... repreſſit*. Adelph. Act. III. ſc. II. v. VIII. Sed pro re, quae reipſa creditur, hic fidem intelligit Giacomellius.

(*a*) Auctoritatis vox referri poteſt ad ſummum imperium Clementis XII. Chriſtianorum P. M. quo auſpice ſacrum jam fuerat inter Poloniae regnum, urbemque Romam redintegratum foedus, & Latinorum academiae inſtitutio comprobata. Hinc Latinus grex, juxta Terentianam dicendi rationem uſurpatam a Giacomellio *Verſic. in Heautont. v.* I. Romanae dici omnino poterat auctoritatis cultor, imperii nempè Pontificii, ſeu Pontificiae dignitatis, majeſtatiſque, cujus prae caeteris verus cultor & ipſe ſemper fuit conſtantiſſime Giacomellius, ut ipſe jam demonſtravi illius laudes Italico ſermone proſequuturus. *Elog. di Mich. Ang. Giacomell. p.* XLIX. Monendum tamen auctoritatis potius nomen, quam dignitatis, imperiique in Hecyrae prologo ab auctore noſtro fuiſſe delectum, ut ſcilicet ſermo a veterum comicorum dictione non abhorreret. Profecto hiſtriones auctoritatem aliquam, prologos dum conficerent, ſibi, populoque tribuerant: Nam & qui exemplo praeire aliis conſueviſſet, quique proprio ſuffragio aliena probaſſet, auctor ab eodem Terentio *Prolog. Andr. v.* XIX. vocatus auctoritatem exercere dicebatur. Unde *nunquam* (haec illius verba) *defugiam auctoritatem*. Eunuch. Act. II. ſc. III. v. XCVIII. Ita in MS. Lipſienſi. Inſuper *facite*, inquit, *ut veſtra auctoritas meae auctoritati fautrix, adjutrixque ſit*. Prolog. Hecyr. v. XLVII. Quod quidem poſtulavit ipſemet Terentius rogans, adnotante Minellio *Not. in prolog. Hecyr.*

Sacro redintegrato (*a*), jam diu viget
Beneficiorum (*b*) pulchra concertatio (*c*),
Eam nulla umquam calamitas (*d*) diremerit (*e*).

Quam

ut ipſius conatum, atque induſtriam populus ſuo favore, & auxilio comprobans commendaret. Ipſe Plautus *ſi*, ait, *auctoritatem poſtea deſugeris*. Poenul. Act. I. ſc. I. v. XIX.

(*a*) Arctiſſimum rebus viciſſim pacatis inter Catholicos cum Romanos, tum Polonos initum foedus, quod ut diu conſiſtat integrum vera religio ſoſpitet, atque perennis tueatur concordia, res ut parvae creſcant, neque maximae dilabantur. Redintegrare apud Juriſconſultos idem ſignificat atque aliquid inſtaurare, reſtituere, renovare; qua quidem ſignificatione exclamat apud Terentium Pamphilus: *Vah! perii; hoc malum integraſcit*. Andr. Act. IV. ſc. II. v. v. Vnde ad integrum redit quidquid repetitur, & actio redintegratur, quae extincta fuerat. *Leg. V. Dig. ad S. C. Trebell.*

(*b*) Bacchis ita loquitur penes Terentium cum Antiphila, Clinia, Syroque: *Hac beneficio utrique ab utriſque vero devincimini*. Heautont. Act. II. ſc. IV. v. XIV. Gallicae conferendae inter ſeſe Michaelis Marollii, & Joannis Antonii Bayſii verſiones.

(*c*) *Concertationem comparatam*. Terent. Adelph. Act II. ſc. II. v. IV.

(*d*) Thais vocatur a Parmenone Phaedriam alloquente *fundi calamitas*. Terent. Eunuch. Act. I. ſc. I. v. XXXIV. *Vt nunquam* (ſunt Bacchidis verba) *ulla incidere poſſit calamitas*. Heautont Act. II. ſc. IV. v. XV. *Novum intervenit vitium, & calamitas*. Prolog. Hecyr. v. II. Vid. *Haberſack. Nucl. Terent. Feind. Phraſeolog. Terent.*

(*e*) Ita lego dicentem Plautinum Soſiam: *Sed praelium id tandem diremit nox interventu ſuo*. Amphitr. Act. I. ſc. I. v. XCIX.

(*e*)

Quam inſpiciundam nunc fabulam vobis damus,
Ei Hecyrae (*a*) nomen indidit (*b*) Terentius:
Modo rem totam ſpectatores optimi,

Vt

(*a*) *Hecyra eſt huic nomen fabulae*, ut inquit Terentius. *Prolog. Hecyr. v.* I. *L' Ecira è il nome* (ſic vertit Bergallia) *di queſta commedia*. Scilicet *Socrus* ab ἑκυρὰ, ex qua deſumptum nomen adnotante Caſaubono *Not. in Hecyr.* quia per ſoceros juxta Donatum *Praef. Hecyr.* pleraque aguntur. Vid. *Giacomell. Prolog. Phorm. v.* LXXXVIII.

(*b*) Vid. *Giacomell. Prolog. Phorm. v.* LXXXIX. *Juventus* (inquit Plautus perſonam referens Ergaſili) *nomen indidit ſcorto mihi*. Captiv. Act. I. ſc. I. v. I. *Les jeunes gens* (en Gallicam Coſteii verſionem) *me donnent des titres, qui conviennent admirablement a ma profeſſion de paraſite*. Magnifico certè verborum apparatu uſus eſt Gallus interpres, vernacula ut diceret lingua quod Italus dixiſſet *la gioventu mi chiama paraſito*. Quod quidem oſtendit Latinam loquendi rationem, qua Terentiano, Plautinoque more uſus eſt Giacomellius, aliquando facilius Italicae aptari linguae, quam Gallicae, meliuſque prae caeteris verſiones Italicas Latinis ſcriptoribus conformari. Aſt velint nolint qui novitatis ardore fortaſſe ducti multum quum Gallis tribuant commendare legendo malunt quae ſunt per eorum induſtriam illuſtrata, quam Italica inventa admirari diſcendo, in ipſis tamen Coſteii verbis conquieſcant oportet aſſerentis priores illos Plauti verſus ideo a ſe male converſos *parce qu' ils ne contiennent* (ut ingenue fatetur) *qu' un jeu de mots ſi dependant de la langue Latine, qu' il ſeroit tout-a-fait abſurd traduit en François*. Hinc conſtat verboſas ejuſmodi formulas a Gallice perſcribentibus, & cuncta exprimere conantibus devitari non poſſe, veluti Teren-

ren-

Vt eſt aperient (*a*), huc qui procedunt (*b*) foras:
Aures praebete, quaeſo, cum ſilentio (*c*).

rentianas quaſdam Adelphorum phraſes a Santalbino, & Daceria in Gallorum idioma converſas inter ſe comparans obſervavit Clericus. *Art. critic. P. II. ſect.* 1. *c.* II.

(*a*) Rem patefacient, declarabunt, oſtendent. *Neceſſario ſe aperiant* dixit Terentius. *Andr. Act. IV. ſc.* I. *v.* VIII. Anglica conferri debet Webbii verſio, de qua Woodius. *Antiqu. Oxonienſ. T: II. p.* CCXLI.

(*b*) *Syre* (Micionis ſunt verba) *proceſſiſti hodie pulchre*. Terent. Adelph. Act. V. ſc. IX. v. XXII.

(*c*) Vid. *Giacomell. Prolog. Phorm. v.* XC. Dixerat Terentius: *Arrige aures, Pamphile*. Andr. Act. V. ſc. IV. v. XXXI. *Praebere*, inquit Cicero, *aures conviciis*. Orat. ant. ir. in exil. n. VIII. *Favete*, ita Muretus, *& vigilate animis, vigilate auribus, dormite linguis*. Prolog. Phorm. v. XXXVII. Hanc dictionis formulam omnes fere adhibent comoediarum, & tragoediarum ſcriptores in prologis, ut extorqueant ſilentium tantopere neceſſarium ab ſpectatoribus.

EXPLICIT PROLOGVS I. HECYRAE.

SVO

SVO MARIOTTIO MATANIVS S.

PERVSIAM.

EGo vero, amiciſſime Mariotti, tardius quam volebam humaniſſimis litteris tuis reſpondeo. Moleſtum certè puto fuiſſe tibi ſilentium meum; at maxime velim ne me arbitreris immemorem tui, quem diligo plurimum. Ad III. Id. aprilis libellum accepi tuum, avide legi, & gratias ago tibi quam poſſum maximas. Vidi enim, neque invita minerva vidi, quanto ingenii acumine, quanta ſolertia id omne expoſueris, quod ad Savorgnianium tuum pertinere cenſueras. Tantumne ab re mea eſt otii mihi, aliena ut curem, eaque nihil, quae ad te attinent? Reſcribe, inquies. Fui tardiuſculus, neque diffiteor. Diſtuleram vero ad te litteras dare expectans, ſi fas eſſet, tranquillum otium, quo ita frui liceret, ut tantillum temporis detractum vellem cum publicis, tum privatis, quibus, ut bene noſti, premor occupationibus. Venit illud quidem tandem aliquando, quum omnes ſcilicet otioſi a rebus publicis rus cogitant, ut quam ſibi negotiorum cura hilaritatem eripuit, eam recuperent rerum jucundiſſimarum aſpectu. Dum verò voluptatibus alii afficiuntur agreſtibus, & venationibus indulgent, choreis, conviviis, non aliis ipſemet oblectamentis urbana inter moenia concluſus relaxare animum valeo, quam ſi cum abſentibus per litteras amice loquar, quippe qui rure careo, neque ex venationibus, choreis, forſitan & conviviis magnam haurio voluptatem. Vtinam ita me fortunet Deus, ut ſim in tenui

re

re beatus! Gaudeo tamen aliquantiſper, & vehementer laetor quod ejuſmodi intervenerit moroſa dilatio. In cauſſa namque fuit alterum ut Hecyrae Terentianae prologum a Giacomellio perſcriptum, meiſque ornatum adnotatiunculis evulgaturus nunc maxime prae manibus habens conſecrarem tibi potiſſimum, quem domi, foriſque in honore habitum non ego ſolum, ſed & patria tua, ubi nobiliores ſcientias publice profiteris, bonique omnes plurimi faciunt. At quotuſquiſque tale ſuſcepit ſtudium evulgandi Giacomellianos prologos animadverſionibus illuſtratos? Ego certè ſuſcepi volens lubenſque, ſubciſivis ut horis diverſimode recrearer, atque aliquam inde advenientem exturbarem ex animo aegritudinem, eamque redderem ſaltem ex mala meliuſculam. Meam nihilo ſecius operam, quantulacumque ſit, ſi veterum, ac recentiorum amas elegantias, in perenne accipias velim amicitiae argumentum, ac ſi quidquid per me adjectum legeris neque inutile, neque ingratum fuiſſe tibi intellexero, alacrius deinceps ad alia pergam; ſecus vero, ne quid mentiar, proprii fiam erroris cenſor ingenuus. Neque is ego ſum, qui forſitan depravatus aſſentatorum blanditiis ſi quid male geſſerim non redargui monitis amicorum, ſed defendi velim oblivione, & ſilentio: Vanitatis certè puderet ludicrae, aſſentatoria ſi in laude tantillum gloriae quaererem, non ignarus permulta eſſe, quae neſcire me fateor, & diſcerem lubens. Idipſum maxime dicito, ut ad res noſtras propius accedam, de rebus è naturali quoque philoſophia depromptis, quum in iis pertractandis facile perſaepe ſit compluſculos errores contrahere, Ceterum doctiores amicos dum plurimi facio odi profanum vulgus, & arceo,

pla-

planè conſcius quod variantibus philoſophorum inquiſitionibus ſententiae quoque variantur, deque naturalibus maxime rebus nemo, ut ſcis, aliquando judicat confidentius, quam qui eas ignorat. Antiquius nihil habent nonnulli, quos delicatulos vocares, quam dictitare frequenter facile eſſe inventis addere, novis autem, & luculentis facillimum; perinde ac ſi aliena dum animo reputas, cogitationibuſque propriis amplificas, ab omni meditatione, induſtria, labore vacuus inveniaris. Me horum miſeret, qui vel primis, ut inquiunt, labiis nondum deguſtarunt philoſophiam, vel pallio tenus philoſophi quum ſint tremulos certè, quod ſolent indocti, criſpante naſo cachinnos ingeminant. Legiſtin' pauculas annis ſuperioribus evulgatas? Renunciatum eſt mihi (quod non aegerrime ferendum fuit) multo fuiſſe plures pro ea, qua pollent, humanitate ſapientes viros, qui laudaverint, quam qui reprehenderint; quod quidem perſcribenti mihi animum addidit, etſi memor ſum quod utramque partem ſaepe fama mentitur, & tam de bonis mala, quam de malis bona incerto rumore concelebrat. Vtut ſe res habeat viget adhuc alias parandi cupiditas, eaſque mittendi ad exteros, Bernenſes cumprimis, & Monſpelienſes, utpotequi jamdiu fuerim in eorum academias honorifice adlectus. Prima namque omnium ea mihi indicta lex, non otiari, ceſſare nunquam. Perlatum eſt ad me, nec iniquo animo tuli, Bartoccinium Mantuam divertiſſe, ut ibidem proſperis elatus rebus (quod felix, fauſtumque ſit) naturalem profiteretur philoſophiam. Qui honos cum ejus auget commoda, tum nemo non videt quantopere ejus erigat animum, atque ſuſtentet. Scire aveo quid ille agat tuae, meaeque deliciae, im-

mo deliciae amicorum omnium, de quo permagnam jampridem ſcientiae opinionem imbiberam. Si fortè ruſticationis gratia his menſibus in patriam remigraverit, eum ſalvere jubeto meis verbis. Quod ſcribam aliud nihil occurrit. Tu quoque valeto, mi Mariotti, & patrium decus tuere, ut facis. Mane paullulum. Scripta jam, ſed nondum obſignata epiſtola, quam, fateor, non multa litura coercuit, in aedes introrumpit meas Vitonius, qui non ignarus me ad te ſcripſiſſe illam, a me poſtulat ut te ipſum, ſicuti facio, peramanter jubeam ſuo nomine ſalvere plurimum. Scribet ipſe quidem ad te quum ei vacuum fuerit. Nonnihil hodie mecum feſtinanter, ut ſolet, de medicis rebus curſim raptimque loquutus eſt; de botanicis vero, ac caeteris, quibus impenſius incumbit, naturalis philoſophiae partibus, ob temporis anguſtiam ne hilum quidem. Quidquid a me velis, quod tuis inſervire commodis poſſit, non amice ſolum ſcribito, ſed dictatorie imperato. Quae etenim te velle plurimum arbitror, ea me potiſſimum decet expetere. Apage, inquies, has verborum oſtentatiunculas, ac putidiuſculas urbanitates, alieno tamen ſi è calamo fluxerint. Ego certè a fraudolentis ſemper abhorrui ſimulationibus, tuoſque amo labores, & ſtudia, multoque magis verecundiam tuam, quippe qui vitam ita laudabiliter agis, quaſi laudem vehementer exoptes, ſed ita laudem excipis, quaſi nihil unquam de ea cogitaveris. Valeto iterum, & Matanium ama.

PISTORIO POSTRID. EID. OCTOBR. MDCCLXXVI.

PRO-

Digitized by Google

PROLOGVS II. HECYRAE

DICTVS QVVM FABVLA DARETVR POPVLO.

ETſi (*a*) moveri (*b*) non decere intelligo,
Mores tueri qui facile poſſunt ſuos
Ru-

(*a*) Praeſtitum videmus per Giacomellium noſtrum quod feciſſe jam novimus ſingulari artificio Terentium, qui binos quum Hecyrae prologos praemiſiſſet, alterum propriis confictum periculis genio populi, defenſioni propriae alterum deſtinavit, in quo loquitur L. Ambivius hiſtrio magnae tum temporis, ut videtur, apud populum exiſtimationis: Poſtquam enim incipiens prologum declaravit quod *Hecyra eſt huic nomen fabulae*, novum denuo inſtituit prologum dicens: *Orator ad vos venio ornatu prologi*. Prolog. Hecyr. v. 1. ix. Primus autem a Giacomellio in recitandis inſumitur glorioſis optimi principis laudibus, alter dictus quum fabula daretur populo in enarrandis, compeſcendiſque verſatur malevolorum hominum quaerimoniis, quorum pervicaci animo factum falſae ut cauſſae ad eorum, qui Hecyram acturi eſſent, diſcordiam confingerentur.

(*b*) Feſtinationem indicat. Sanè Terentius *move vero* (per Chremetem loquitur) *ocius te nutrix*, & Sophrona ſubdit *moveo*, cui Chremes ipſe reſpondet *video, ſed nihil promoves*. Eunuch. Act. V. ſc. III. v. III.

Rumuſculis (*a*) incertis, & id operam (*b*) dare
Virum gravem, malevoli (*c*) quae dicant, ea
Merito ut ne dicant; eſt quatenus tamen
Hoc

(*a*) Dixerat Plautus perſonam referens Amphitrionis quod *cives Thebani rumificant*. Amphitr. Act. II. ſc. II. v. XLVI.

(*b*) Vid. *Giacomell. Verſic. in Andr. v.* X.

(*c*) Nil mirum quum malevolos invenerit vel ipſe Terentius, atque in maligna eorum coercenda importunitate inſumpſerit fabularum prologos, maximeque ut reſponderet *malevoli veteris poetae*, Luſcii nimirum Lavinii, *maledictis* Prolog. Andr. v. VI. & invidos ut compeſceret *rumores*, quos *diſtulerunt*, uti ait, *malevoli*, & praeſertim *malevolus vetus poeta*. Prolog. Heautont. v. XVI. XXII. Sed ſummam adverſariorum aſtutiam (jure ne, an injuria dixerint) ſatagebat in Adelphis etiam, Phormione, & Hecyra reprehendere. Gliſcebant autem Romae etiam adverſus Latinos academicos ſuperbientium adverſariorum contumeliae, erumpebatque rumor eos nullam daturos amplius Latinam fabulam. Contumelias ejuſmodi partim Terentii exemplo retundere, partim inſectari conatus eſt in altero Hecyrae prologo Giacomellius, planè conſcius falſum, & nugatorium eſſe exortas inter academicos fuiſſe diſcordias, voluptatem dum quaeſitum irent, qua feſſum ab ſtudiis animum recrearent. Eum vero ſi ſcribentem quis legerit, per ipſum cum rem propriam, tum Terentianam impenſius mirabitur enucleatam, maximeque ſi ad adnotationes quaſdam in Graecam Aeſchyli tragoediam *προμηθέυσ δεσμώτης* inſcriptam, ab eoque Italice redditam mentem, animumque converterit: Poſtquam etenim dixerat Aeſchylus *τοίαδ' ἐπ' ἐχθροὺς τοὺς ἐμοὺς ἔλθοι κύπρις* v. DCCCLIII. *χλιδῶντας*, ſubdit Prometheum repraeſentans, *ὧδε τοὺς ἐμοὺς ἐγὼ ἐχθροὺς ἰδο-*

Hoc deceat contemnere (*a*): praeſertim ſi qui viri,
Bene quos de ſe ſentire quiſque vult probus,
Quae immurmurant malevoli, ea orta non putent
De nihilo (*b*). Eo fit, multo temporius (*c*) quod huc

In

ἴδοιμι v. CMLXXII. atque id conſonat cum Luciani verbis *ἐχθροῖς οὕτω πλουτεῖν γένοιτο*. *Gall. c.* XXX. Hanc autem malevolentiae ſpeciem, cujus nomine voluptatem ex alterius malo conceptam intelligit Tullius *Tuſculan. quaeſt. L. IV. c.* IX. vocavit *ἐπιχαιρεκακίαν* Ariſtoteles *Rhetoric. L. II. c.* XXIV. atque adverſus invidam hominum malevolentiam invehere compulſus *ὁ γὰρ αὐτός*, ſubjungit, *ἐστιν ἐπιχαιρέκακος*, *καὶ φθονερός*. Hinc Ariſtotelica voce uſus eſt S. Baſilius dum dixit quod *οὐ δεῖ φθονεῖν τοῦ ἑτέρου εὐδοκιμήσει*, *οὔτε ἐπιχαίρειν ἐλαττώμασί τινος*. *Epiſt. ep.* XXII. Quare Terentius ipſe Pythiam inducens cum Phaedria, Doriaque loquentem *utinam*, exclamat, *ſic fient mihi qui male volunt* Eunuch. Act. IV. ſc. III. v. XIII. & Soſtratam cum Chremete fabulantem deſcribens *iſtuc*, iratus imprecatur, *inimicis fiet*. Heautont. Act. V. ſc. III. v. XII. Sed jam dixerat Plautus: *Utinam* (loquitur Demaenetus cum Argyrippo) *male qui mihi volunt ſic rideant*. Aſinar. Act. V. ſc. I. v. XIII. Haec autem in Graecis, Latiniſque comicis perſaepe leguntur.

(*a*) *O Dave*, dicit Simo, *itan' contemnor abs te?* Terent. Andr. Act. III. ſc. II. v. XII.

(*b*) Bacchis Lachetem alloquitur dicens: *Non hoc de nihilo eſt*. Terent. Hecyr. Act. V. ſc. I. v. I. Vid. *Boecler. Gujet. Palmenin. Adnot. in Terent.*

(*c*)

In ſcenam (*a*), quam decretum erat, proſiluimus.

Nam

(*c*) Citius. Dicitur etiam *temperius*, & penes Plautum legitur *temperi* a Chalino prolatum. *Caſi.ı. Act. II. ſc.* VI. v. LX.

(*a*) Scena hic loci pro theatro ſumitur, atque in Florentinis pandectis, ut vocant, tale nomen adjecta diphtongo, veluti loquuntur grammatici, perſcriptum legitur. Ea vero eſt, ſicuti ab Juriſconſultis, Labeone praeſertim, definitur, quae olim ludorum publice faciendorum cauſſa ubivis erigi conſueverat; quam quidem definitionem ad edictum de his, qui notabantur infamia, accommodavit Ulpianus. *Leg. I. §. ult. & Leg. II. §.* v. *Dig. de his, qui not. infam*. Veruntamen ubivis theatrum erigitur, omneſque proſilire videntur in ſcenam, quandoquidem quis velit *inſpicere tanquam in ſpeculum*, ut cum Terentio loquar, *in vitas omnium..... atque ex aliis ſumere exemplum ſibi*. Adelph. Act. III. ſc. III. v. LXII. Profecto humana vita comoedia eſt, in qua ſuas quiſque partes agere debet dum intuetur alienas. *Toda nueſtra vida* (Hiſpanienſem lubet afferre Sanchezii ſententiam) *no es otra coſa ſino una comedia, o repreſentacion. Dios es el que da los dichos, y a uno manda que repreſente rey, a otro labrador, a otra matrona, y a otra eſclava. Si tu labrador quieres repreſentar rey, o conde, mal hazes, y preſumes contra quien te dio el dicho de labrador*. Anotac. del eſtoic. Epict. c. XIX. Appoſite Epictetus μέμνησο, inquit, ὅτι ὑποκριτὴς εἶ δράματον οἷου ἂν θέλῃ ὁ διδάσκαλος. *Manual. c.* XVI. Sed quum in ſcenam proſilire legimus dictum a Giacomellio in theatrum jamdiu paratum prodire intelligimus, quo haud reſerato fabulae quum agi non amplius queant, infra ſubjungit Latinorum academicorum culpa non eſſe factum, veluti rumor erupit foras, ut ſcena conticeſceret.

(*a*)

Nam quidam alicunde (*a*) rumor (*b*) erupit (*c*) foras (*d*),
Id noſtris factum factioſis (*e*) moribus
Vt ſcena conticeſceret; non amplius
Daturos (*f*) ullam nos latinam fabulam;
Noſtro ingruiſſe atrocem (*g*), & aſperam gregi.

Ira-

(*a*) Davus ait apud Terentium: *Venit meditatus alicunde*. Andr. Act. II. ſc. IV. v. III. Toxilus etiam excitatus a Plauto ita loquitur: *Rogas? Alicunde exora mutuum*. Perſ. Act. I. ſc. I. v. XLIV.

(*b*) *Rumor eſt amare*. Terent. Andr. Act. I. ſc. II. v. XIV. *Rumores diſtulerunt*. Prolog. Heautont. v. XVI. *Nam qui erit rumor populi*. Phorm. Act. V. ſc. VII. v. XVIII. *Rumor venit datum iri gladiatores*. Prolog. Hecyr. v. XXXIX. Sic Suetonius *rumore*, ait, *ab obtrectationibus delato*. Vit. Auguſt. n. XIV. *Diſperſus rumor* (haec Phaedrus. *Fabul. L. V. fab.* v. *v.* XI.) *civitatem concitat*.

(*c*) A Terentio Chaerea inducitur Antiphoni dicens: *Jamne erumpere .... licet mihi?* Eunuch. Act. III. ſc. v. v. II. *Vereor* (Geta Phormioni dicit) *ne iſthaec ..... erumpat denique*. Phorm. Act. II. ſc. II. v. XI.

(*d*) *Progreditur foras*. Plaut. Menaechm. Act. I. ſc. I. v. XXXIII.

(*e*) Euclio Plautinus: *Venit* (haec ejus verba) *hoc mihi, Megadore, in mentem te eſſe hominem divitem, factioſum*. Aulular. Act. II. ſc. II. v. L. *Multi* (audiamus Piſtoclerum cum Mneſilocho audacter loquentem) .... *reperiuntur ..... lingua factioſi*. Bacchid. Act. III. ſc. VI. v. XIII.

(*f*) Vid. *Giacomell. Verſic. in Andr. v.* IV. *in Eunuch. v.* VI. *in Heautont. v.* VII. *Prolog. Hecyr.* I. *v.* LIII.

(*g*) *Incredibili re, atque atroci percitus*. Terent. Hecyr.

Act.

Irarum tempeſtatem; & ut dicto fidem
Affirment, cauſſas afferunt ſanè graves:
De eo certari partes qui primas agat (*a*);
Secundas alium conqueri ſibi dari;
Alium quod ultimas (*b*), clamare Deum
fidem,

Et

Act. iiI. ſc. iiI. v. xvii.

(*a*) Vid. *Giacomell. Prolog. Phorm. v.* LXXXIX. *Primas partes qui aget*. Terent. Prolog. Phorm. v. xxviiI.

(*b*) *Eſt mihi in ultimis conclave aedibus quoddam retro*. Terent. Heautont. Act. V. ſc. i. v. xxix. *Quis hic eſt ſenex, quem video in ultima platea?* Phorm. Act. I. ſc. iv. v. xxxviiI. Aliquam ſedare diſcordiam, quantulacumque ea ſit, inter juvenes humanioribus impenſe ſtudiis dantes operam fortaſſe exortam facile eſt; eam vero ſuperbientes, & imperitos inter comoediarum actores, qui muſicis quum litarint ſpectaculis primatum prae reliquis tenere ſe jactitant, componere difficillimum: Nam *eſt genus hominum* (ut cum Terentio loquar) *qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt, nec ſunt*. Eunuch. Act. II. ſc. ii. v. xvii. Quam quidem dicendi rationem in vernaculum transferens idioma pro more ſuo Daceria *il y a*, inquit, *une certaine eſpece de gens, qui pretendent etre les premiers en tout, quoy qu' il n' en ſoit rien pourtant*. Vid. *Bourl. Galleſ. Santalbin. Maroll. Verſ. Gallic. Terent.* Ejuſmodi tamen diſcordias cum inter fabularum actores, tum inter eos, qui ſpectandi gratia in theatrum convenerant, Romae quondam inter patricios, plebejoſque viros accepimus excitatas, quibus factum ut aliquando contra aedilium, quibus fabulae ſaepe dabantur, expectationem ſcena conticeſceret. Eos autem, qui theatri regimen nacti eſſent, & parandis, moderandiſque proſceniis debuiſſent invigilare, id curae ſibi

quo

Et hominum (*a*): Concertationem hujuſmodi
Dirimere non potuiſſe quemquam denique.
Quam

quoque ſumpſiſſe traditum eſt, ut nempè pro pacandis rebus omnes prudentiae nervos intenderent, atque in mutua promovenda tranquillitate libenter adlaborarent. Tales forſaſſe ii fuerunt, quos nobis vetus offert inſcriptio a Venutio *Deſcr. dell. ſcop. d' Ercol. p.* LIX. relata, atque in ruderibus Herculanienſibus reperta:

L. ANNIVS . MAMMIANVS . RVFVS . II. VIR . QVINQVE
THEATR . P. NVMISIVS . P. F. ARCH. EC ......

Anno vero ab V. C. DCLXXXVII. lex Roſcia M. Acilio Glabrione, & L. Calpurnio Piſone COSS. a L. Roſcio Othone tribuno plebis lata eſt, qua ſancitum ut nemini, niſi ex equeſtri cenſu eſſet, in XIV. primis theatri gradibus ſpectandi gratia ſedere liceret, eorum ut quilibet proſcenio vicinior quum foret, diſcordias agentium fabulas propria ſtatim auctoritate componeret. Quae tamen lex, tametſi mitior ab Auguſto reddita, plebeiis, qui promiſcue cum equitibus ſcenicos antea ludos ſpectaverant, talem ignominiam fecit, ut magnas turbas in conſulatu excitaverit Ciceronis, qui ſolemnem pro hac lege habuit orationem. *Cicer. Epiſt. ad Attic. L. II. ep.* I.

(*a*) Pamphilus dolenti percitus iracundia apud Terentium exclamat: *Pro Deum, atque hominum fidem!* Andr. Act. I. ſc. V. v. III. In Vaticanis Codd. deeſt *fidem*, quam tamen vocem in verſione vernacula ſupplendam cenſuit Forteguerrius ita reddens Terentiana verba: *Per la fede degli uomini, e de numi!* Inſuper *pro Deum fidem* (ita Pythias) *facinus foedum!* Eunuch. Act. V. ſc. V. v. I.

Digitized by Google

Quam falſo id confictum ſit (*a*) ipſa res monet,
Huc qui modo procedimus (*b*) Terentii
Acturi (*c*) Hecyram (*d*). Namque exortas (*e*) diſcordias

Inter

(*a*) *Facis* (Pamphilo dicit Laches) *injuriam, confingis falſas cauſas ad diſcordiam*. Terent. Hecyr. Act. IV. ſc. IV. v. LXIX.

(*b*) *Proceſſiſti hodie*. Terent. Adelph. Act. V. ſc. IX. v. XXII.

(*c*) Vid. *Giacomell. Verſic. in Phorm.* v. VI.

(*d*) *Hecyra eſt huic nomen fabulae*. Terent. Prolog. Hecyr. v. 1. Pamphilum exhibet adoleſcentem Lachetis ſenis, & Soſtratae filium, qui uxorem duxit amicam Philumenam è Phidippo ſene, Myrrhinaque prognatam, cui virgo quum eſſet jam vitium temulentus intulerat eam ignorans Philumenam eſſe, eique per vim detraxerat è digito annulum, atque alteri amicae, cui Bacchidis inditum nomen erat, ſtatim tradiderat. In Imbrum poſtea Thraciae inſulam Mercurio ſacram profectus recenter nuptam ne attigerat quidem; eam tamen ex eo gravidam Myrrhina mater ut aegram, inſcia Soſtrata Pamphili matre, ſuam tranſfert in domum. Revertitur poſt dies compluſculos ex Imbro Pamphilus, ac reſciſcit ita ſortem tuliſſe, ut quo die ipſe Athenas appulit, eo ipſo pepererit Philumena, partumque celat, & conjugem, quam nondum attigerat, ignarus illati a ſe vitii renuit excipere. *Phidippus* (ut cum Mureto. *Argum. Hecyr.* loquar) *accuſare uxorem, & dicere haec omnia illius culpa contingere; illa contra excuſare ſe, & culpam deprecari nullius ſe rei conſciam eſſe cur ſua conſuetudo nurui odioſa eſſe debeat*. Sed Laches ejus parens dum captum a filio conſilium in Bacchidis amorem putat regerendum, accidit ut Myrrhina Philumenae mater annulum

for-

Digitized by Google

Inter nos falſum, & planè nugatorium eſt (*a*).
Sanè puderet vanitatis (*b*), ludicra (*c*)
Si in re tantillum (*d*) quaereremus gloriae;
Nec quiſquam adeo eſt noſtrum tam levi (*e*)
ſententia,

Vo-

forte recognoſcit Philumenae ereptum a Pamphilo, ab eoque Bacchidi traditum, atque is annulus efficit ut eamdem ab ipſo cenſeatur fuiſſe vitiatam. Hinc Pamphilus, qui pollicitus erat ſe Philumenam ducturum uxorem, eam laetus una cum filio recipiens finem imponit fabulae. Atque hic obiter adnotandum erraſſe Muretum *Argum. Hecyr.* quum Philumenam Lachetis dicit, & Myrrhinae filiam; alioquin ſororem ſuam duxiſſet uxorem Pamphilus, eo quod Lachetis eſſet filius, quandoquidem Philumena erat Phidippi filia, Myrrhinaeque. Haec autem Terentii comoedia ſtatim poſt Andriam aedilibus datam locum obtinet juxta nonnullos, & ante Phormionem ob cauſſas relatas a Voſſio. *De poet. Latin.* Vid. *Petit. De ord. comoed. Terent.*

(*e*) Verbum hoc impudentiam notat, ut animadvertit Donatus. *Adnot. in Hecyr.* Hinc Terentianus Laches: *Tu ſola exorere* (Soſtratam alloquitur) *quae perturbes haec tua impudentia*. Hecyr. Act. II. ſc. I. v. XVI.

(*a*) *Operam meam* (ita Sicophanta apud Plautum cum Charmide colloquium inſtituit) *hodie locavi ad artes nugatorias*. Trinumm. Act. IV. ſc. II. v. I.

(*b*) *Non pudet vanitatis?* Terent. Phorm. Act. III. ſc. II. v. XLI.

(*c*) Vid. *Giacomell. Prolog. Phorm.* v. XXXV.

(*d*) *Quem ..... tantillum in manibus geſtavi meis?* Terent. Adelph. Act. IV. ſc. II. v. XXIV. *Si hercle tantillum peccaſſis*. Plaut. Rudent. Act. IV. ſc. IV. v. CVI.

(*e*) Inſida ſcilicet, vili, inconſtanti. Ad homines quoque transfertur a Terentio, qui Bacchidem inducit Lacheti dicentem: *Nolo falſa fama eſſe gnatum ſuſpectum*

tuum,

Voluptarium ut abduceret ludum ad ſui
Animi moleſtiam (*a*), vel aegritudinem (*b*)
Vaniſſimae ſpe laudis ductus (*c*). Neminem
Porro expetere laudem in nugis (*d*) puto, niſi
Mi-

tuum , nec leviorem vobis. Hecyr. Act. V. ſc. 1. v. XXXII.

(*a*) *Ubi quid in animo eſt moleſtiae* . Terent. Eunuch. Act. IV. ſc. II. v. XI. In aliquibus Codd. MSS. habetur *ubi quid animum* (ſeu mavis *animus*) *eſt moleſtia* , hancque lectionem non improbavit Parejus ; de quo tamen loquendi genere conſulendus Heinſius. *Comm. in Ovid. Metam. L. XIV. n.* CCIX. Sed Terentii phraſis mihi magis arridet , eamque Parejanae anteferendam cenſuit Weſterhovius . *Comm. in Terent. Eunuch. p.* CCCLIX.

(*b*) Aegrotare animum poſſe fatetur quiſpiam . Sed & Terentius ipſe Simonem inducens cum Davo loquentem *ſi quis* , inquit , *magiſtrum cepit ad eam rem improbum , ipſum animum aegrotum ad deteriorem partem plerumque applicat* . Andr. Act. I. ſc. II. v. XXI. *Animo fere perturbato* (in MSS. Lipſienſibus , & Bodlejanis legitur *conturbato*) *atque incerto prae aegritudine* . Heautont. Act. I. ſc. I. v. LXXI. *Vix ſum compos animi* (exclamat Geta) ...... *iram hanc* ..... *evomam omnem* , *dum aegritudo haec eſt recens* . Adelph. Act. III. ſc. II. v. XII. XIV. *Atque iſtam exturbes* (ſunt Palinuri verba apud Plautum) *ex animo aegritudinem* . Curcul. Act. II. ſc. I. v. IX. Iſthanc vero dicendi rationem Charinus apud Plautum uſurpare ſolet dum maxime dicit quod amorem conſectantur *cura* , *aegritudo* , *nimiaque elegantia* . Prolog. Mercat. v. XIX.

(*c*) Ideſt allectus . Sic Terentius Davum inducit Simoni dicentem : *Id voluit nos ſic nec opinantes duci falſo gaudio* . Andr. Act. I. ſc. II. v. IX. Vid. *Par. De Terent. Plaut. imit.*

(*d*) Terentii Chremes Syro dicit : *Quid ſiet ? Nae iſta*

Miſera quis ambitiuncula aegrum (*a*) animum gerat (*b*).
Excelſum quippiam, magnum, & laudabile
Sibi deſtinat (*c*), bene ingeniatus (*d*) qui ſiet.
Non opes, non honores, non hic ingenj
Contentio ulla, quae tria excitant velut Fa-

iſta (nempè Soſtrata) *hercle magno jam conatu magnas nugas dixerit*. Heautont. Act. IV. ſc. 1. v. viII. *The meaning of it? She' s taking great pains to deliver herſelf of ſome mighty trifle now*. Haec Anglica Cookii verſio. *Maxumas* (ita Libanus Demaeneto penes Plautum) *nugas agis*. Aſinar. Act. I. ſc. 1. v. LXXVIII. Sed & in eadem fabula lego Paraſitum dicere: *Haec ſunt non nugae*. Act. IV. ſc. 1. v. LXIII. *Niſi qui argentum dederit nugas egerit*. Prolog. Menaechm. v. LIV. Vid. *Giacomell. Prolog. Adelph. v.* XXXIX.

(*a*) Vid. *Adnot. ſupr. ad v.* XXXI.

(*b*) *Pueri ..... iras gerunt*. Terent. Hecyr. Act. III. ſc. 1. v. XXX.

(*c*) Auctor argumenti Plautinae fabulae, cui Epidici nomen inditum, monet quod *eo ſororem deſtinat imprudens juvenis*, nimirum Chaeribulus, vel ut aliis lubet Apoecides *v.* IV. At Theuropides apud Plautum ipſum interrogat Daniſtam, & Tranium tali pacto: *Quid? Eas*, ideſt aedes, *quanti deſtinat?* Moſtell. Act. III. ſc. 1. v. CXIII. Arcturus denique Pleuſidippum adoleſcentem, Atticumque civem Palaeſtram ait puellam a Labrace Cyrenenſi in arte fidicina inſtitutam amare coepiſſe. Hinc *minis triginta ſibi puellam deſtinat*. Prolog. Rudent. v. XLV. Vid. *Soderin. Animadv. & interpret. in Plaut. Rudent.*

(*d*) Paleſtrio ſervus ita apud Plautum cum Pleuſide, ac

Faces (*a*) animorum cupiditates (*b*). Vnice
Spectamus illud, hinc ut voluptas aliqua
Nobis exiſtat, qua ſeverioribus
Ab ſtudiis feſſum recreemus (*c*) animum.
Modo
Aures praebete (*d*), quaeſo, cum ſilentio (*e*),
Et

ac Periplectomeno loquitur: *Qui lepide ingeniatus* (alii minus recte *ingenuatus*) *eſſet*, *vitam longinquam darent* (ſcilicet Dii) *Mil. Act.* III. *ſc.* I. *v.* CXXXV. *Il ſeroit juſte* (Gallice reddidit Limierius) *qu' ils* (les Dieux) *donnaſſent une plus longue vie a ceux*, *qui n' auroient que de bonnes inclinations*.

(*a*) *Amans*, *ita ut fax*, *agitando ardeſcit magis*. P. Syr. Sentent. v. XIV.

(*b*) *Scitum eſt ejuſmodi parare* (in MS. Palatino legitur *bujuſmodi parere*) *in animo cupiditates*, ſcilicet voluptates. *Terent. Phorm. Act. V. ſc.* IV. v. II. *Cumque corporis facibus inflammari ſoleamus ad omnes ferè cupiditates*. Cicer. Tuſculan. quaeſt. L. I. n. LXX. *Animi morbi ſunt cupiditates*. De finib. L. I. n. XXI.

(*c*) In agendis Terentii fabulis dum occuparentur Latini academici feſſum ab ſtudiis ſeverioribus animum recreabant, ſimulque Latinas excolebant litteras, humanoſque obſervare poterant mores ibidem repraeſentatos. Ejuſmodi arte factum ut ab otio litterato traherentur ardentius, planè conſcii quod *otium*, ut inquit Seneca, *ſine litteris mors eſt*. Epiſt. ad Lucil. ep. LXXXII. *Nec vero id effici poſſe confido* (Tullianis verbis dicam quod ſentio) *quod ne poſtulandum quidem eſt*, *ut omnes adoleſcentes ſe ad ſtudia convertant*. *Pauci utinam!* De divinat. L. II. n. V.

(*d*) Iiſdem verbis priorem abſolvit Hecyrae prologum Giacomellius v. LVII.

(*e*)

Digitized by Google

(*e*) Haec Giacomellius, planè conſcius jure dixiſſe Terentium *ſilentium date*. Prolog. Hecyr. v. LV. Nam poſtquam primo Hecyrae actu placuerit fabula, ob populi tamen perſtrepentis clamorem, atque tumultum (*cum interea rumor venit datum iri gladiatores* v. XXXIX.) accidit ea ut in reliquis non amplius placuerit. Romae vero ab Latinis academicis juvenili adhuc aetate florentibus nimius fortaſſe plauſus, quo comica repraeſentatio diſturbaretur, timendus erat, ille praeſertim, qui manibus fieri aſſolet juxta veterum morem è ſophiſtarum auditoribus deductum, & ab ipſo alibi explanatum Giacomellio in adnotationibus in S. Joannem Chryſoſtomum. *De ſacerd. L. V. c.* II. Hinc jure meritoque ipſe veteres inter comicos Plautus *adeſte*, inquit, *cum ſilentio*. Prolog. Trinum. v. XXII. Vid. *Giacomell. Prolog. Phorm. v.* XC. Quando autem ſignum laetitiae, & bene placitae comoediae dabatur a veteribus, innui conſueverat per verbum *plaudite*. Terent. Andr. Act. V. ſc. VI. v. XVII. Eunuch. Act. V. ſc. IX. v. LXIII. Heautont. Act. V. ſc. V. v. XXIII. Adelph. Act. V. ſc. IX. v. XL. Phorm. Act. V. ſc. VIII. v. LXV. Hecyr. Act. V. ſc. IV. v. XL. Vnde ſi fabula quaevis placuiſſet, repetitis acclamationibus populus plaudebat; ſin minus ſibilis; & ſupploſione pedum conceptam inde moleſtiam, faſtidiumque demonſtrabat. Inſuper plebeii maxime, quaſi de genere Getarum eſſent, Latinas aliquot voces omnino irridere non verebantur, forſitan ignari quod *rident ſtolidi verba Latina Getae* Ovid. Triſt. L. V. eleg. X. v. XXXVIII. ea ſanè ratione, qua ipſi Punica penes Plautum audientes verba riſum compeſcere nequimus. Revera Hanno Poenus loquitur Punice, & poſtquam ſalutaverit dicens *avo*, rogatur ab Agoraſtocle ut Punice rurſus ſalutet, dicitque *me bar bocca*, ac proſequitur *muphurſa*, deinde vero *mivulechianna*, & tandem *laecb lachananim limi nichot*. Poenul. Act. V. ſc. XI. v. XXXVIII. XLII. L. LIII. Sed de Punicis vocibus Plautinis non pauca prolata leguntur a criticis, aliiſque ſcriptoribus. Vid. *Caſaubon. De Punic. Plaut. ex Wolf. p.* CXXI. *Kirck. Prodrom. Copt. p.* CLXXIX. *Aldret. Antiqu. Afric. p.* CCVII. *Rudbek. Atlant. p.* DCCXXXI. *Saphun. Comm. ad Plaut.*

Pu-

Et paucas horas, ſpectatores optimi,
Hilares (*a*) nobiſcum ſumite, ſi vobis lubet (*b*).

Punic. p. LII. Nullibi profecto riſum movere comoediae deberent, niſi forte ob apparatum, & ſcenicas larvas tam ridiculae fuerint, quales olim confecerat Ariſtophanes, ut ſpectatores ab ſilentio deturbent, & id excitent vehementius, quod *riſu . . . . emoriri* dictam a Terentio *Eunuch. Act.* III. *ſc.* I. v. XLI. adeoque plebis aucupium faciant, veluti animadvertit Heinſius. *De Plaut. & Terent. judic. p.* II. Attamen comoedias aliquas ideo conſtat placuiſſe veteribus, propterea quod riſum excitare valuerant, veluti de Pſeudolo Plautino dicendum eſt. Vid. *Giacomell. Verſic. in Heaut ont. v.* x. Neque comicorum arte abutendum, quorum etſi aliquando dictiones ad incredibile prolabuntur, probabilia tamen ob ridiculum fiunt. Et fanè *ὅθεν*, ſunt Longini verba, *καὶ τὰ κωμικὰ, καίτοι γ' εἰς ἀπιστίαν ἐκπίπτοντα, πιθανὰ διὰ τὸ γελοῖον. De ſublim. c.* XXXVIII. At rei ejuſmodi occaſio è Livianis petenda videtur hiſtoriis: *Poſtquam enim ab riſu, ac ſoluto joco res avocabatur, & ludos in artem paullatim verterat, juventus hiſtrionibus fabellarum aut relicto ipſa inter ſe more antiquo ridicula intexta verſibus jactitare coepit*: Hiſt. Rom. L. V. n. XXVI. Juvenes vero, qui ſunt, uti eos vocat Ariſtoteles *φιλογέλωτες Rhet. L. II. c.* XII. memoria teneant oportet juveniis aetatis Athenienſes ab indecenti riſu ſemper abhorruiſſe, veluti eruitur ex Ariſtophane *Nub. Act.* III. *ſc.* II. *v.* CLXXIX. atque a vetere ejuſdem interprete, qui veram tradit *κιχλίζειν* explicationem.

(*a*) *Quando hoc bene ſucceſſit hilarem hunc ſumamus diem . . . . Hilarem . . . . fac te . . . . . & cui rei eſt, ei rei hilarem hunc ſumamus diem*. Terent. Adelph. Act. II. ſc. IV. v. XXIII. Act. IV. ſc. VII. v. XXXVIII. Act. V. ſc. III. v. LXVIII.

(*b*) Vid. *Giacomell. Prolog. Phorm. v.* LXXIX.

EXPLICIT PROLOGVS II. HECYRAE.

FINIS.

BIBLIOTECA ... TORINO

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google